



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrugensis Ecclesiae, Ab Anno Christi  
MDCXXVIII.**

**Brogberen, Johannes**

**Coloniae Agrippinae, 1657**

Synodus Osnabrugensis major, seu earum quibus Illustrissimus Reverendissimusque Princeps, Dominus Franciscvs Gvilielmvs, Episcopus, praesedit, prima; celebrata XXVIII Martii MDCXXVIII. Cui ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14298**

SYNODVS MAIOR  
OSNABRVGENSIS,

id est,

D E C R E T A

&

CONSTITVTIONES

in Synodo promulgatæ,

P R Æ S I D E N T E

Reverendissimo & Illustrissimo Principe  
ac Domino,

D. F R A N C I S C O

G V I L I E L M O,

SANCTÆ OSNABRVGENSIS ECCLESIAE

E P I S C O P O,

XXVIII Mensis Martii,

Anno Domini M D C XXVIII.

\*\*

FRAN-

FRANCISCVS  
GUILIELMVS,

Dei & Apostolicæ Sedis gratia,  
EPISCOPVS ECCLESIAE  
OSNABRUGENSIS,  
PRÆPOSITVS RATABONENSIS,  
COMES DE WARTENBERG,  
DOMINVS IN WALD, &c.

Vniversis & singulis, Cathedralis Nostræ & Collegiatarum Parochialiumque Ecclesiarum Prælati, Abbatibus, Præpositis, Decanis, Archidiaconis, Parochis, Rectoribus & Curatis, cæterisque Civitatis & Diocæsis Nostræ Osnabrugensis Clericis & Personis Ecclesiasticis, tam Regularibus, quam Sæcularibus, Salutem in DOMINO sempiternam.



*M*emoria vos tenere arbitramur, quanto promovendi honoris divini, proferendæ Christianæ fidei religionisque Catholicæ, quanto denique status Ecclesiastici ornandi augendi; desiderio flagrarit Magnus ille CAROLVS, Romanorum Imperator & Rex Francorum, non avitæ duntaxat fortitudinis gloriæque bellicæ Heros, sed barbararum etiam gentium invictus domitor, & Episcopatum in Saxonia plurimum munificus aquè ac pius Fundator. Quam etiam ob rem, Saxonibus illis præcis, non minore felicitate prælio victis, quam religione, ad Christum, unà cum Duce ac Principe suo Wedikindo, maxima orbis Christiani gratulatione, traductis, totus in eo fuit, ut agnitam jam Christi fidem desultoria levitate ne mutarent, sed retinerent constantissime, jactasque salutis radices, dignis Christiana arbore, bonorum operum fructibus confirmarent. Hoc consilio Episcopatum hunc Nostrum Osnabrugensem, primum omnium ac vetustissimum in Saxonia, sub patrocinio Apostolorum Principis instituit; accitoque ex Frisia, viro non minus vitæ sanctimonia & Sacerdotii dignitate, quam doctrina laude & rerum divinarum cognitione, id ætatis, clarissimo, WIHONE; primum quidem, plebem ac populum in Mysteriorum sacrorum disciplina studiose institui, deinde vero Ecclesiam, ab se conditam fundatamque, sanctorum Christi Sacerdotum multitudine, eruditione etiam ac scientiarum graviorum & religiose potissimum integritatis laude antestare cæteris,  
imò

SYNODVS MAIOR OSNABRVGENSIS.

imò Ecclesiam Osnabrugensem quasi matrem ac nutricem reliquarum omnium esse voluit, à qua illæ & primam gratiæ vitam, & doctrinæ Christianæ lac haurirent. Quod quanto vicinorum Episcopatum commodo, quam luculento fidei Christianæ incremento factum sit, satis prodiderunt vetera Historia Saxonica monumenta; ex quibus in propatulo est, ex Osnabrugensi Ecclesia, tanquam ex communi adfitarum Diœcesium Seminario, integerrimos Clericos, absolutissimosque Sacerdotes, ad promulgandam veram fidem, procurandamque animarum salutem prodiiſſe. Incubuit in hoc, maximo studio, primus hujus Sedis Antistes Wiho; incubuerunt in idem alii plures Ecclesiæ Nostræ Præsules (quorum syllabum vestris oculis subijcimus,) qui, votorum suorum compotes, ad septingentos & quod excurrit annos, nobilissimam, ut ait Cyprianus, Christiani gregis portionem, Sacerdotes inquam & Clericos, divino cultui inauguatos, numero multos, eruditione præstantes, pietate eximios, numeris omnibus perfectos, singulari Dei beneficio, illustri cum Episcopatus hujus ornamento, non sine admiratione infidelium, omnium vero commendatione, habuerunt. Atque utinam conspicuus ille Ordinis Ecclesiastici nitor, qui tanto cum decore resplenduit, constanti semper luce fulſſet. Verum, dux tenebrarum, illustrissimo soli ausus offundere nebulas, id effecit, ut Nazaræi nostri, candidiores nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores, mutato colore optimo, vultuque instar carbonum denigrato, vel probrosa turpitudine lapsi sint, violato castitatis voto, vel impio perjurio ad errores fœdissimos ac heresin desciverint. Quod evenisse justa Dei ultione experti sumus, ab illis maxime annis, quibus vel iniquitate temporum, vel libertatis amore, vel conniventia A catholicorum Præsidium, vel vulgi errore, vel Sacerdotum licentia, tota hæc (prò dolor) Diœcesis, non, ut orbis universus Arianum se esse, ingemuit, sed A catholicam esse vidit. Quod uti alienis imbuti opinionibus Ecclesiæ Rectores dissimularunt; ita solliciti de se deq; suorum salute Curatores restituere in integrum pro viribus nixi sunt. Certè celebris prudentiæ laude Prædecessor Noster Ioannes Comes de Hoia felic. rec. & pronuper Itelius Fridericus S. R. E. Cardinalis & Comes Zolleranus, magni ambo & memoria nunquam interitura Episcopi, introducto in hanc Diœcesin promulgatoque palam Tridentino Concilio, summa desideraverunt, conati sunt plurima, multa effecerunt. Nostis ipsimet vos plerique, & memorare potestis, quid tantorum impensis operum moliti, quid emoliti sint. Nos in curam Episcopalis muneris, Episcopo animarum nostrarum supremo ita volente, illo maxime tempore, quo turbinum omnis concitatio, tempestatumque effusarum indignatio, in Diœcesin Nostram, Nauclero jam suo ac Governatore orbatam, inundabat, adsciti, unum id in votis habuimus, ut, si non reductâ malaciâ, sedatis saltem perturbationum procellis, creditas Nobis Petrinæ naviculæ reliquias, quocunque possemus pacto, assereremus & servaremus. Nec vos præterit, quanta cum difficultate, quanto sumptu atque opere, quanta Adversariorum obtreccatione, quanta repugnantia filiorum Belial, post

Ex Saxonia  
Krantzii,  
Kerſſenbrug, &  
Kleniſſorgi  
Historia.

Cyprianus  
serm. de  
virgin.

Threnor. 4.  
v. 7. 8.

S Y N O D V S M A I O R

felicem inaugurationem Nostram, Deo nobis opitulante, effectum dederimus, ut Nostra in Vrbe principe, totaque Diœcesi, sua Religioni Orthodoxæ integritas constaret. Plura hic non persequimur; Deus enim pro nobis, & causa æquitas, loquitur. Tantis certè impendiis, tantâ molestiâ (conscientiam habemus ad Deum Dominum bonam) unum hoc quæsivimus, ut, proscriptâ impietate, revocatâ omnino, vel restitutâ ex parte, Religione avitâ, fides Catholica in Diœcesin Nostram reducatur, Ecclesiasticarum autem Constitutionum observatio in Clero Nostro, si non ad laudem pristinam (quod tamen vel maxime optamus) revirescat, ad sacrarum tamen legum Canonumque normam, ac disciplinam Ecclesiasticam, erigatur ac conformetur. Quod eò magis necessarium est, quò Clerici & sacrorum Præfecti, exemplo suo, in utramque partem plus in vulgus possunt, aut nocere si mali sint & improbi, aut prodesse si Religiosi & pii. Vti enim morbus, à capite ortus, facillime per venas atque arterias in membra traducitur ac dividitur, totumque corpus pervadit & inscit; ita vitia Clericorum (qui corporis Christi capita quedam sunt,) proclivi admodum contagione, in populum diffunduntur, dum quilibet imitari non horret, quod tanto videt autore perpetrari. Quod indicasse nobis videtur tam Ieremias, dum asserit, à Sacerdotibus egredi pollutionem super omnem terram, quam Oseas, dum vaticinatur, Sacerdotes esse factos in laqueos & rete expansum; laqueos, quibus integritati gula interstringeretur; rete, quo, decepti malorum esca, pisces, rationis compotes, caperentur. Quæ etiam de causa, ex S. Ioannis Chrysostomi sententia, Clerici unius peccatum, sicut commune quoddam Paræciæ integræ contagium, tam grave atque enorme est, atque multitudinis totius: quod ille, adductâ, ad confirmationem assertionis suæ, Aaronis indulgentiâ, Ophni & Phinees sacrilegio stabilit; additque, idcirco unius Sacerdotis delictum expiatum fuisse eadem hostiâ, quâ populi universi piacula propitiabantur. Atque, ut taceamus de scandalis passim præbitis, de offensionibus datis, quibus horrendum illud V.Æ, summus noster Pontifex, à peccatoribus segregatus, intonuit; tantam hæcenus in Diœcesi Nostra credendi vivendique libertatem, tantam errorum impunitatem, tantam rerum divinarum ignorationem, tantum salutis neglectum, magnam sane partem confusionem hanc culpâ Pastorum natam esse in grege, existimandum est. Morbo huic fontico, tam noxio ac virulento, non mæderi, cum possemus, grande arbitramur nefas, cum, eam ad curationem, à summo Ppsychiatro, & Oleum accepimus & Vinum. Nec præsentius alexipharmacum, discipline Ecclesiasticæ (quam in oratione Synodali præscribi vobis, eademque de causa excudi, præcepimus) observatione; ex qua nullo negotio perspicuum, quibus obnuntiationibus dirisque configantur, quibus mulcentur pœnis atque censuris, impii, dissoluti, leves, impudici, negligentes muneris sui, Sacerdotes. Quid vero Christianæ Reipublicæ & Ecclesiæ Dei conferant pii ac religiosi Sacerdotes & Clerici, qui, cum integritate morum, eruditionem sacram & zelum animarum castum conjungunt, à primis fidei incunabulis, ad decli-

vem

Ier. 23.  
v. 15.  
Oseas c.  
5. v. 1.

Lib. 6.  
de Sa-  
cerdo-  
rio.  
Exod.  
32. v. 22.  
& 28.  
1 Reg.  
2 à v. 12.  
& c. 4.  
v. 10.  
Ex Le-  
vit. 4.  
Matth.  
18. v. 7.

Luc. 10.  
v. 34.

O S N A B R V G E N S I S.

rem hanc usque senectam, per singulas aetates, abundè in Ecclesia constitit: adeo ut nemo diffiteri possit, plures, sanctitate & exemplo Pastorum suorum, quam docendi contentione & miraculorum multitudine, ex errorum tenebris ad veram fidei lucem, ex flagitiorum cæno ad justitiæ Christianæ studium, emerfisse. Ita scilicet oculos, ita animos ferit honesta & innocens Clericorum vita. sicuti enim unius Sacerdotis flagitiis provocatus ad iracundiam Deus, toti populo infligit plagas, ita unius etiam religione ac pietate mitigatur, ut propitius sit ac favens; quod exemplo suo Samuel & Othias docent. Sunt Clerici Lux mundi, Sal terræ, Oculi corporis mystici; in hac, luce si tenebræ, in hoc sale si fatuitas, in his oculis si albugo, decoram ceteroqui Ecclesiæ faciem obscurari, evanescere, fœdari, perspicuum est. si è diverso, in luce hac, vitæ ardor ac doctrinæ splendor, in sale hoc condiendi acrimonia, in oculo hoc pura perspicacitas; manifestus evadit speciosissimi oris Ecclesiæ nitor, sapor, pulchritudo. Hunc corporis splendorem, vel, obstitum nonnihil, deterfis maculis expolietis, vel, jam interpolatum, reddetis illustriorem, si ea, quæ de officio Ecclesiastico, de animarum cura, de Sacramentorum administratione, de vita & honestate Clericorum, de interna externaque modestia, in Synodo hac Nostra injungimus, quæ Antecessor Noster Cardinalis Zolleranus in sua, quæ Metropolitanus in Conciliis Provincialibus decreverunt, (quæ omnia & singula vobis ab oculis poni curavimus,) effectuetis, atque etiam subditis, curæ vestræ commisis, quatenus eos eorumque salutem respiciunt, exponatis, utque tum à vobis ipsis tum ab iis diligenter & accurate observentur, curetis. Quod uti à Principe Pastorum & Episcopo animarum nostrarum supremo, qui nos consecravit Deo genus electum, regale Sacerdotium, gentem sanctam, populum acquisitionis, impensissime efflagitamus; ita serio mandamus atque precipimus, ut quisque vestrum examussum sancteque observet; officio Nostrò, in puniendis iis qui deliquerint, promovendis vero ornandisque iis qui paruerint, nequaquam defuturi. Deus Dominus vos sanctos & immaculatos in adventum Filii sui servet. Dabamus ex Civitate Nostra Osnabrugensi, in Festo S. Marci Evangelistæ, Anno M D C XXVIII,

1 Reg. 3. & 12. v. 3.  
2 Machab. 15. v. 12. 13. Matth. 5. v. 13. & 15. & 6. v. 22. 23.

1 Pet. 2. v. 9.



ORDO AC SERIES  
E P I S C O P O R V M  
ECCLESIAE OSNABRUGENSIS,

ab anno Christi D C C L X X I I  
ad annum usque M D C L I I I.

CAROLVS MAGNVS, Imperator, fundavit Ecclesiam Osna-  
brugensem, primam in Saxoniâ, anno Christi D C C L X X I I.

	Anni	Se-	Obi-
		tion.	tus.
I. SANCTVS WIHO, ex Frisia à Carolo Magno evocatus, vir gene- re, doctrinâ, sanctitate vitæ, zeloque animarum, illustris.	32		804
II. MEINGARDVS. De hoc nil nisi nomen posteritati relictum.	29		833
III. GOSWINVS, Monachus S. Benedicti Fuldæ.	32		866
IV. Sanctus GOSBERTVS Martyr, Suecus, discipulus S. Ansgarii, Apostoli Sueciæ, occisus pro religione Catholica à Barbaris.	8		874
V. EGBERTVS, sive EGINHARDVS, recuperandis Decimis, Episcopatu ablati, sollicitè intentus.	10		884
VI. EGILMARVS. Ei redduntur alienatæ Decimæ; & quinque aliæ Ecclesiæ ab Arnulpho Imperatore adjiciuntur.	33		918
VII. DODO I. Is obtinuit confirmationem privilegiorum, Ecclesiæ Of- nabrugensi daturum.	16		934
VIII. DROGO. Illustria impetrat ab Othone I Imperatore circa cuden- dam monetam, instituendos mercatus & nundinas, privilegia.	35		969
IX. LVDOLPHVS, Othonis I Imperatoris consanguineus.	26		983
X. DODO II, Othoni II & III Imperatoribus valde gratus.	13		996
XI. GVNTHARDVS, sive GVNTRADVS, aliis GVNTHERS; quem noctu sancti Martyres <i>Crispinus</i> & <i>Crispianus</i> ad acceptan- dum Episcopatum animant.	4		1000
XII. WACHOLPHVS, Polyonymus Historicis, qui etiam ipsum W AR- NANDVM, WEDILOPHVM, WANNONVM dicunt.	2		1002
XIII. DIETHMARVS, ex Canonico S. Mauritii extramuros Mona- steriensis, factus Decanus Aquilgranensis, tandem Episcopus Osna- brugensis, fundavit Ecclesiam S. Ioannis Baptistæ, librisque suis Bi- bliothecam donat; & oculis tandem capitur.	21		1023
XIV. MEINERVS, sive MENCHERVS, sive MENINCHERVS.	5		1028
XV. GOSMARVS.	9		1038
XVI. ELVERICVS, vel ELEVERICVS, vel ALVERVS.	15		1052
XVII. BENNO I, vel BRENNO, aliis etiam BERNARDVS.	16		1068
XVIII. Beatus BENNO II, miraculo natus sterilibus parentibus, ex Præ- posito Hildesimensi Episcopus Osnabrugensis, à S. Annone confè- cratus; Fundator Cœnobii Iburgensis, & Montis sancti Gertrudis; privilegiorum egregius vindex, glires sacris obnunciationibus de- vovit, qui intra C C L X X X annos, totâ Dicecesi conspecti non sunt.	20		1088
XIX. MARQUARDVS, Monachus & Abbas Corbeiensis, fit Episco- pus; sed loco & honore motus.	5 <sup>1</sup>		1093
XX. WIDO seu WIHO II. Sub quo Civitas Osnabrugensis conflagravit.	8		1101
XXI. IOANNES I. De hoc nil nisi nomen.	9		1111
XXII. GODSCHALCVS, Nobilis Dominus de Diepholte.	8		1119
XXIII. DIETHARDVS, ab Imperatore & suo Capitulo strenuè defen- sus contra competitorem.	18		1137
XXIV. VDO, turrem Ædis Cathedralis ædificavit, & Cœnobium S. Gertru- dis absolvit.	4		1141
XXV. PHI-			

SYNODVS MAIOR OSNABRVGENSIS.

XXV. PHILIPPVS, Comes Cattimelibocus, præter alia præclara facinora, instituit duo virginum Monasteria, Ofede & Quernheim.	32	1173
XXVI. ARNOLDVS.	2	1175
XXVII. GERHARDVS de Lippia; qui, quod, reformato Cœnobio Hersebrock, gestis contra vicinos Principes bellis, motisque litibus gravibus, relicta Sede Osnabrugensi, factus sit Archiepiscopus Bremenfis, incerto habet calculo annos supputatos. Sub illo vixit Osnabrugii vir sanctus, <i>Reinerus</i> nomine.		
XXVIII. Sanctus ADOLPHVS, illustris genere, ex Canonico Colonienfi Monachus Cisterciensis in Vetere campo; inde vocatus Episcopus, Cantoriam instituit, Thesaurariam auxit; liberalis in Capitulum, Ecclesiæ ministros ac leprosos; clarus miraculis.	24	1224
XXIX. ENGELBERTVS I, Comes de Isenburg, postulatus, sed à Papa, ob cædem S. Engelberti, rejectus, & in Synodo Leodiensi damnatus.		
XXX. CONRADVS I, confirmat foundationes ac privilegia Monasteriorum Iburg, Bersebrock, Rulle, & Ofede.	9	1233
XXXI. ENGELBERTVS II, Comes de Teckleburg, Ecclesiam contra fratris sui violentiam gloriose defendit.	11	1244
XXXII. BRVNO, Comes de Teckleburg, pacificus, multas composuit controversias.	8	1252
XXXIII. WEDEKINDVS, Comes de Waldeck, cum laude præfuit.	7	1260
XXXIV. BOLWINVS, seu BOLDOWINVS de Ruffle, fundavit & ampliavit Ecclesiam Widenbrugensem.	10	1270
XXXV. CONRADVS II, Comes de Ritberg.	28	1298
XXXVI. LVDOVICVS, Comes de Ravensberg, prælia contra hostes Ecclesiæ suæ feliciter gessit; pietate & religione insignis.	14	1312
XXXVII. ENGELBERTVS III, de Wenge, construxit Castrum Witlage.	11	1324
XXXVIII. GODEFRIDVS, Comes de Arenspurg, Capellæ Episcopalis sancti Martini in novâ Civitate fundator. Sub hoc Iudæi infecerunt puteos.	26	1350
XXXIX. IOANNES II, dictus Hoedt, Doctor SS. Canonum, à Papa Clemente V confirmatus, Regalibus à Carolo IV. donatus, maximas inter turbas præfuit.	16	1366
XL. MELCHIOR, Dux Brunswicensis, excluso Theodorico à Marca, ad Episcopatum Osnabrugensem proVectus, ab eodem ad Suerinensem transfertur.	10	1376
XLI. THEODORICVS sive DIETHENIVS de Horn; subactis tandem Diocesis hostibus, expugnatoque Cloppenburg, Curiam in urbe suâ Episcopali fundat; in Ecclesias beneficus.	28	1402
XLII. HENRICVS I, Comes de Holfatia, resignat.	2	1404
XLIII. OTHO, Comes de Hoya.	20	1424
XLIV. IOANNES III, Comes de Diepholte, pugnatis variis pugnis pro Decimarum & limitum suorum defensione, accepto in urbe telonio, propinato sibi veneno moritur.	13	1437
XLV. ERICVS I, Comes de Hoya, resignat.	3	1440
XLVI. HENRICVS II, Comes de Moerse; fuit etiam Administrator Monasteriensis.	10	1450
XLVII. ALBERTVS, Comes de Hoya, postulatus, sed non confirmatus à Papa nec à Cæsare, cessit.	3	1453
XLVIII. RVDOLPHVS, Comes de Diepholte.	1	1454
XLIX. CONRADVS III, Comes de Diepholte, reformavit Monasteria S. Benedicti, & laudabiliter præfuit.	28	1482
L. CONRADVS IV, Comes de Ritberg; qui reformat Monasteria Quernheim & Rulle. Sub illo cives, duce Lententuen, tumultuantur adversus Clerum; sed graviter luunt injuriam.	26	1508
LI. ERICVS II, Dux Brunswicensis ex Grubenhagen, Princeps apertè Catholicus; qui commotos ad seditionem, ac Lutheranismi libertatem postulantes cives, animosè compescuit, & rebelles florenorum sexies mille aureorum poenâ multavit.	24	1532
LII. FRANCISCVS I, Comes de Waldeck, sacris Ordinibus initiatus,		



SYNODVS MAIOR OSNABRVGENSIS.

		Anni Sef- Obitus.
	tus, consecratur Episcopus in Marienfeld. Fuit etiam Episcopus Monasteriensis; ubi Anabaptistas rebelles domat; nec non Episcopus Mindensis. Inductus postea in Lutheranismum, à summo Pontifice & Imperatore monitus resipiscit, & Catholicus moritur. Sub hoc primi Religionis veteris deformatores, præcones novi, Osnabrugum aliunde accersiti, scholas, Ecclesias, concordiam Statuum perturbant. Faceffere tandem iussis novæ hæresis magistris, abolito heterodoxo exercitio, restituta in integrum religione Catholicâ & Ecclesiis, puniuntur ab Imperatore, ob violatam religionem & jurisdictionem Ecclesiasticam, cives Osnabrugenses.	21 1553
LIII.	IOANNES IV, Comes de Hoya; qui etiam fuit Episcopus Monasteriensis & Paderbornensis, Iudex quoque Cameræ Spirensis; Princeps religiosissimus, prudentiæ laude clarissimus, doctrinâ magnus, linguarum variarum expertissimus; in promovendo sacrosancto Concilio Tridentino (quod etiam primus in sua Diocesi promulgavit) studiosissimus; pacis amantissimus; in tractatu illo Passavico, in Germaniâ cum hæreticis inito, laboravit plurimum, & Ecclesiæ Catholicæ ac religioni profuit maximè.	21 1574
LIV.	HENRICVS, Dux Saxoniz, Administrator, primum Catholicus, fit etiam Episcopus Paderbornensis, & Archiepiscopus Bremensis; ubi, lapsus cum equo, obiit.	11 1585
LV.	WILHELMVS, Nobilis de Schenckinck ex Beveren, quinta post electionem die, non confirmatus, obiit.	1585
LVI.	BERNARDVS, Comes de Waldeck.	5 1590
LVII.	PHILIPPVS SIGISMUNDVS, Dux Brunswicensis, Administrator; nec à Papa nec à Cæsare confirmatus; cæterum bonus Princeps. administravit etiam Verdensem Episcopatum, & Præposituram Halberstadtensem. Sub hoc, anno MDCXIII, Civitas Osnabrugensis media conflagravit.	33 1623
LVIII.	ITELIVS FRIDERICVS, Comes de Hohenzolleren, S. R. E. Cardinalis, titulo sancti Laurentii in panis perna; pietate ac prudentiâ præstans; qui religioni avitæ, paci inter Principes Germaniæ reducendæ, & publicis Imperii negotiis, studuit plurimum.	2 1625
LIX.	FRANCISCVS GVILIELMVS, Comes de Wartenberg, postulatur Episcopus, xxvi Octobris MDCXXV; inter motus bellicos Imperii, variam expertus fortunam. Præficitur etiam Ecclesiis Mindensi & Verdenfi. Anno MDCXXIX, fit Coadjutor Episcopi Alberti Ratisbonensis; cui succedit xiiii Aprilis MDCXLIX. Præest adhuc suis hoc anno MDCLIII, cui omnes boni diuturniorem deinceps ætatem, multosque annos, à Deo apprecantur.	

**S**eries hæc Episcoporum, secundum annos integros supputata est, mensibus, hebdomadis, diebus, non subductis, ut eò expeditior esset & certior ratio Chronologiæ; in qua nonnulli, uti variant, sic vacillant.

ACTA

# ACTA GESTAQVE

cum Cæremoniis servatis in

## SYNODO MAIORI

## OSNABRUGENSI,

vigesimâ octavâ Martii, anno millesimo,  
sexcentesimo, vigesimo & octavo;

P R Æ S I D E N T E

Reverendissimo & Illustrissimo Principe ac Domino

D. FRANCISCO GVILIELMO,

Dei & Apostolicæ Sedis gratia,

EPISCOPO ECCLESIAE

OSNABRUGENSIS,

PRÆPOSITO RATISBONENSI,

COMITE DE WARTENBERG,

DOMINO IN WALDT, &c.



Scilicet admodum est com-  
monitio, & severa ma-  
gni gentium Doctoris  
Apostoli Pauli obtesta-  
tio: Attendite vobis  
& universo gregi, in  
quo vos Spiritus sanctus  
posuit Episcopos, rege-  
re Ecclesiam Dei, quam

acquirit sanguine suo. Quam, ea qua oportuit consideratione, cum animo suo Reverendissimus atque Illustrissimus Princeps ac Dominus D. Franciscus Guilielmus, Episcopus Osnabrugensis, Ratisbonensis Præpositus, Comes de Wartenberg, Dominus in Waldt, &c. religiose supputans; muneris sui atque officii esse ratus est, crediti sibi à Deo gregis, commissarumque Ecclesiae Osnabrugensis ovicularum, boni instar fidiq; Pastoris, non minori studio quam caritate satagere. cumque non ignoraret, ex sacro Ezechielis Prophetæ oraculo, consolidandum sibi quod infirmum, sanandum quod ægrotum, alligandum quod contractum, reducendum quod abjectum, requirendum quod perditum, pervigilandum

denique tanquam rationem pro animabus omnium Deo reddituro; omni animi contentione viribusque in id incubuit.

Opportunissimum itaque & maxime necessarium, ad persanandam gregis sui scabiem, ad conservandam fidei veræ integritatem sinceritatemque, ad profligandam hæresin, morborum omnium procreatricem, ad reformandos Cleri mores, defectusque corrigendos, ad judicandas lites componendasque controversias, ad statum denique Ecclesiae totius instaurandum, visum est remedium, Synodi convocatio. quod non duntaxat suo exemplo docuerunt Christi Domini nostri, Principis omnium Pastorum, & Episcopi animarum nostrarum, Apostoli, Concilio primo, Hierosolymis celebrato, quos deinde magno consensu ac fructu, gloriosi Ecclesiae Præsides secuti sunt; sed sacri etiam Canones & Oecumenicæ Synodi Tridentinæ Decreta præscriperunt. idque eo citius adhibendum esse duxit, quo majus in mora periculum, & nocentior in morbis chronicis cunctatio, quoque vel negligentius vel rarius in Dicecesi sua Synodos convocatas esse meminerat. Imitatus itaque

A

com-

• *Al. 20.*

• *Ecesb.*  
34.

communem Episcoporum consuetudinem, & secutus recens Illustrissimi & Reverendissimi Antecessoris sui Cardinalis Zollerani exemplum, inter ipsa inaugurationis suae primordia, difficillimis licet perturbatissimisque huius Patriae temporibus, Reverendissima & Illustrissima sua Celsitudo, ad maiorem Dei gloriam, Religionisque avitae & Fidei Catholicae incrementum, ad Ordinis Ecclesiastici reformationem, Synodum, non quidem ut haecenus consuetam, sed generalem, qualis ab hominum memoria celebrata non fuit, indixit.

Eo consilio conscriptae sunt de more, amandataeque per Dioecesin universam, atque adeo etiam ad alias Satrapias & loca, sub territoriis aliorum Principum & Magnatum sita, litterae Episcopales, quibus omnes & singuli, Iurisdictioni spirituali Episcopi Osnabrugensis, de iure aut consuetudine, quovis modo subiecti essent, ad Synodum evocabantur; quod eo faciendum fuit studiosius, quo Principes quidam Acatolici, atque capropter ad

gubernationem huius Ecclesiae inhabiles, in celebrandis Synodis, in citandis Parochis sibi subditis, negligentiores, quoque callidius aliqui Iurisdictionis sacrae jugum, vel Evangelicae libertatis praetensa vel alio quovis praetextu quaesito, excutere conati sunt. Ad stabiliendam itaque Iurisdictionem juraque Ecclesiae suae, veteremque consuetudinem asserendam, Litterae eae quae sequuntur, per Tabelliones, Parochis atque animarum Curatoribus, ceteroque Clero, fide bona exhibitae, atque acceptatae, ad valvas etiam Ecclesiarum passim in oppidis pagisque affixae sunt; quod idem in Cathedrali, Collegiata Sancti Ioannis, Parochialibus Sanctae Mariae Virginis, & Sanctae Catharinae Virginis Martyris, Ecclesiis in Vrbe Episcopali, ceterisque per Dioecesin Parochiis, solemni ritu observatum est; pauculis solum locis exceptis, ad quae aditum, & publicam literarum propositionem insinuationemque, vel aperta Haeresis professio, vel iustus periculorum gravium metus, intercludebat.

## FRANCISCVS GVILIELMVS,

Dei & Apostolicae Sedis gratia,

S. ECCLESIAE OSNABRVGENSIS

E P I S C O P V S,

PRÆPOSITVS RATISBONENSIS,

COMES DE WARTENBERG,

DOMINVS IN WALDT, &c.



Venerabilibus, Religiosis, Honorabilibus, Nobis in Christo sincere dilectis atque devotis, Ecclesiae Nostrae Cathedralis Praeposito, Decano, & Capitulo, Abbat. & Praepositis Regularibus, Commendatoribus, Praepositis, Decanis, & Capitulis Collegiatarum Ecclesiarum, Prioribus, Guardianis, Parochialium & aliarum Ecclesiarum Rectoribus, Pastoribus, Plebanis, eorum Vicariis, Capellanis, Clericis, & Beneficiatis, Monasteriorum Sanctimonialium Abbatissis, Priorissis, Magistris, Matribus, earum depu-

tatis Commissariis, seu Confessariis, aliisque Ecclesiasticis, tam Regularibus quam Saecularibus quibuscunque, per Dioecesin Nostram Osnabrugensem ubilibet constitutis, sive exemptis, sive in Dioecesi & Provincia Nostra Osnabrugensi constitutis, sive aliis Ordinariae & Dioecesanæ Nostrae Iurisdictioni subiectis, qui, de antiquo iure & consuetudine, Synodo Dioecesanæ interesse debent & tenentur, Salutem in Domino sempiternam.

Episcopalis Officii Nostrae ratio postulat, ut, quanto gravioribus malis & haeresibus laborantem Dei Ecclesiam conspicimus, tanto majori studio atque vigilantia in eam, quam ex alto Nobis traditam & commendatam suscepimus, functionem incumbamus, ut gregi nostro

stro credito, custodiam simul ac disciplinam adhibeamus; ne, si nostra fortasse incuria perire contingat, quod Christus Dominus noster, in ara Crucis, pretioso Sanguine suo redimendum duxit, ipsius pretium ac Sanguis de manu nostra requiratur, & illud Væ tempiternum, quod apud Ezech. cap. 34. Dominus Pastoribus negligentibus comminatur, super Nos iuducatur.

Hinc est, quod Nos per primum in Nostram Diocesim ingressum, animadversamque huiusmodi rerum omnium turbationem, de celebranda Diocesana Synodo, in qua morum & disciplinæ Ecclesiasticæ reformatio institueretur, excessus corrigerentur, & quantum per horum temporum difficultates fieri posset, hæreses, errores, ac schismata extirparentur, cogitaverimus. Quam quidem cogitationem Nostram, & Prædecessoris Nostri felic. rec. Cardinalis Zollerani illustre exemplum, qui simili modo, in principio fere administrationis suæ inchoatæ, similem Synodum instituit, ac decreta Synodalia promulgavit (quæ & Nos in suo robore permittimus,) & redeuntis temporis istius, quo ex antiqua consuetudine Synodi in Ecclesia nostra Osnabrugensi celebrari solent, admonitio, ita promovit excitavitque, ut tantæ autoritati ac stimulo, tum etiam sacris, antiquis & novissimis Tridentini Concilii Canonibus & Decretis, contravenire, ab officio Nostro Pastoralis alienum duxerimus, sed necessarium omnino ac valde utile iudicaverimus, si, non obstantibus etiam multis impedimentis, variisque huius temporis incommoditatibus, quamprimum Diocesanam Synodum indiceremus, omnesque status Ecclesiasticos Episcopatus Nostri convocaremus.

Quare omnes & singulos, qui de jure vel consuetudine Synodo Diocesana interesse debent, Autoritate Nostra ordinaria, & vigore sacrosancti Concilii Tridentini, in hac parte Nobis concessa Apostolica, in Domino requirimus & hortamur, vobisque & cuilibet vestrum, sub pœnis & censuris, in dicto Concilio Tridentino & aliis contra contumaces in hoc casu à jure infligi solitis & consuetis, præcipimus & mandamus, ut feria secunda, sequente Dominicam Oculi, quæ erit 27 Mensis Martii huius currentis anni 1628, in Civitate Nostra Osnabrugensi, ad dictam Synodum Diocesanam celebrandam, per vos ipsos, aut, iuste & Canonice impediti, per legitimos vestros Procuratores, cum sufficienti mandato, post prandium hora quarta, in loco Capitulari consueto compareatis, & Nostris ad id deputatis nomina vestra, aut absentium mandata & excusationes, in scripto exhibeatis, ac deinde sequenti die 28, in Ecclesia Nostra Cathedrali, mane, ad pulsus majoris campanæ, in habitu & vestitu Choralis, uniuscujusque dignitati, ordini ac statui congruo, convenia-

tis, sacro Missæ Officio celebrato, & Divino Numine invocato, una Nobiscum tractaturi & conclusuri ea, quæ ad Dei omnipotentis gloriam, & laudem Ecclesiæ Catholicæ, Diocesisque Nostræ Osnabrugensis incrementum, atque totius Cleri & Populi mores & disciplinam instituendam & promovendam, ad Hæresum quoque extirpationem, necessaria & utilia videbuntur; certificantes omnes & singulos, qui, à Nobis per præsens hoc Edictum vocati, ad Synodum venire neglexerint vel recusarint, Nos nihilominus, tam ad executionem eorum quæ in Synodo statuentur, ipsorum absentia & contumacia minime obstante, quam ad supra comminatas pœnas & censuras, irremissibiliter processuros.

Volumus etiam, & ab omnibus Prælati, Parochis, & Curatis requirimus, ut, quamprimum hoc Edictum acceperint, singulis septimanis, usque ad finem Synodi, in suis Ecclesiis, sacrum Missæ Officium, pro bono in præfata Nostra Synodo tractandarum rerum eventum, celebrari faciant & procurent.

Omnes præterea Diocesis Nostræ subditos & fideles monemus, & per viscera misericordiæ Domini Dei nostri hortamur, ut omni studio Christianæ pietatis, & assiduis religiosisque precibus, à Deo misericordiarum, & Patre totius consolationis, Nobis, negotium tam salutare tractantibus, opem & auxilium implorent, quo adjuti, in hac Synodali tractatione, omnia consilia, sermones, & actiones nostras, in finem dirigamus, nempe in Christum Iesum, cui in omni sanctitate & justitia servire debemus. In cuius rei fidem, hos Edictum, manu Nostra signatum, & sigillo munitum, publice proponi & legitimæ executioni demandari volumus & iussimus. Datum in Arce Nostra Episcopali Iburgensi, 24 Februarii, anno 1628.

FRANCISCVS GVILIELMVS

Episcopus Osnabrugensis.

Locus Sigilli subimpressi.

**L**itteris evocatorii hunc in modum legitima cum autoritate promulgatis, palamque affixis, spes erat, Clericos omnes, quorum intererat, tam obligationis suæ quam promissionis memores, lubentes volentes parituros, agnituros Pastorem, audituros vocem, secuturos ductum. nec expectatio ea fefellit; plerique enim omnes, præter paucos illos, quos vel in valetudo corporis, vel periculorum grassantium magnitudo, vel aliud justum impedimentum, detinebat, Synodo se coram stiterunt.

Pridie enim ejus diei quo celebranda erat Synodus, magno numero, in domo quam vocant Capitulari, convenerunt; ubi coram Illu-

strissima Sua Celsitudine, Vicario in Spiritu-  
libus, & aliis deputatis Commissariis, recensita  
præsentium nomina, absentium vero causa  
vel ex Collegarum relatione vel aliunde co-  
gnita, aliæque commissiones examinatae sunt.

Hora quinta usque ad sextam, signo, partim  
lætitiæ, partim auspiciandæ Synodi indice,  
omnes templorum campanæ, ad horæ spa-  
tium, per urbem Osnabrugensem concrepu-  
runt.

Die postero, qui erat 28 Martii, feria post  
Dominicam Oculi tertia, anni 1628, hora  
quarta matutina, in utraque Urbis Ecclesia,  
Cathedrali Sancti Petri, & Collegiata Sancti  
Ioannis, matutarum Precum & horarum  
Officium de more decantatum est; quod pari  
ritu excepit augustissimum Missæ sacrificium;  
sub quo major Ædis summæ campana, Synodi  
futuræ index, per medium horæ insonuit;  
quam communis aliarum per Urbem campa-  
narum compulsatio subsequuta est, atque ad se-  
ptimam usque horam tenuit.

Post septimam horam Reverendissimus &  
Illustrissimus Princeps & Episcopus, indu-  
tus habitu Episcopali, cappa & rocchetto, pro-  
gressus est ex domo Residentiæ ad templum  
processionaliter, præcedente Cruce cum duo-  
bus Acoluthis, Clero regulari, ac secundo,  
tam intraneo quam extraneo seculari, Pastori-  
bus Civitatis, ac deputatis Collegiarum Ec-  
clesiarum, Monasteriorum, Collegio Sancti  
Ioannis, Commendatore S. Georgii Ordinis  
Teutonicorum, Præposito Claholtano Ordinis  
Præmonstratensis, Abbate Iburgensi Or-  
dinis S. Benedicti, deinde Capitulo Cathedra-  
lis Ecclesiæ; quos subsequutus est Subdiaconus  
in Dalmatica cum Cruce, & duo juniores Ca-  
nonici Capituli majoris cum facibus imme-  
diate ante Illustrissimam Suam Celsitudinem;  
postquam Nobiles, aliique de familia Illustris-  
simi & statibus Provinciæ, processerunt.

Ingressæ in templum I. S. C. per Admodum  
Reverendum & Prænobilem D. Sixtum à Li-  
auckema, Præpositum Cathedralis Ecclesiæ  
Osnabrugensis, datum fuit aspergillum; quo  
sibi primum, deinde aliis ex Capitulo Cathedra-  
li circumstantibus, aquam lustralem asper-  
sit I. S. C. quæ postea procedens ad gradus  
primos templi, quibus ad Chorum proceditur,  
transcendit ad primum Altare quo SS. Eucha-  
ristiæ Sacramentum exhibetur, in genua pro-  
cumbens, adoravit viventem in sæcula; quod  
& cæteri omnes sunt imitati. ubi cum paulu-  
lum orasset Illustrissimus, surgens, ad Chorum  
& Thronum, cum Baldachino in eo præpara-  
tum, concessit, expectans donec Reverendissi-  
mus Ioannes Episcopus Cardicensis, Suffraga-  
neus Paderbornensis, sacrum Missæ Officium  
de sancto Spiritu pro felici auspicio in Ponti-  
ficalibus cantaturus, ex Sacrificia procederet,  
cum Diacono, Subdiacono aliisque Ministris.

Interea Reverendissimus & Illustrissimus,  
deposita Cappa, sumpsit Crucem pectoralem  
& pluviale. Tres Canonici Capituli Majoris  
D. D. D. Caspar de Nehem, Ioannes Otto à  
Dorgeloe, & Benedictus à Galen, tanquam  
ordinarii Cappellani Episcopales, servierunt  
I. S. C. in Sacro, pro Presbytero Assistente,  
Diacono & Subdiacono, præparati in para-  
mentis & eo modo ut in Cæremionali Epi-  
scoporum Romano.

Divino Officio solemniter more finito, dum  
cantata fuit Antiphona *Exaudi*, cum aliis ut  
in Pontificali Romano, Rev. Cardicensis E-  
piscopus reinduit pluviale; subjunxitque ante  
Altare majus orationem, *Adsumus* &c.

Post hæc Reverendissimus & Illustrissimus,  
deposito pluviali, reassumpsit suam Cappam  
Episcopalem; ac deinde instituta est circum  
Chorum processio, ut supra, ad Capitularem  
Aulam majorem, ordinarium scilicet locum  
Synodalem. Inter procedendum, cantatus fuit  
Hymnus, *Veni Creator Spiritus*. Ad locum Sy-  
nodalem ubi deventum, inceptæ sunt Litanie,  
ut in Pontificali. quibus finitis, Reverendissi-  
mus Episcopus Cardicensis, Synodum bene-  
dixit; & orationem seu collectam subjunxit  
ante Altare, ibidem ad hunc actum præpara-  
tum.

Quibus omnibus solemniter ritu completis,  
I. S. C. in Throno suo, ad hoc in Capite loci  
versus meridiem aptato, Reverendissimus ve-  
ro Cardicensis cum suis Ministris à parte dex-  
tra confedit; cæteri per Ordinem, ac secun-  
dum dignitatem suam, sunt collocati, vel super-  
pelliceis vel habitu Choralis, secundum unius-  
cujusque statum, induti. Interim Magister  
Cæremoniarius D. Hippolytus Franciottus,  
omnes sæculares, quorum non intererat, loco  
excedere iussit.

Ac primum quidem, cum ordine suo, singuli  
confedissent, I. S. C. ad se vocato Vicario suo  
in Spiritualibus Generali Alberto Luccenio  
Protonotario Apostolico, &c. mandatum de-  
dit interrogandi præsentis, an placeat eis in-  
choare Synodum; quod is fecit his conceptis  
verbis:

Reverendissimus in Christo Pater  
ac Illustrissimus Princeps ac Dominus  
Noster Episcopus Osnabrugensis, per  
me interrogat omnes & singulos Do-  
minos Prælatos, & alios quoscunque  
ad hanc Synodum legitime vocatos, an  
ad Dei omnipotentis laudem & glo-  
riam, Ecclesiæ Catholicæ decorem, &  
Episcopatus Osnabrugensis incremen-  
tum, Synodus Diocesana Osnabrugen-  
sis, legitime indicta, convocata & con-  
gregata, eis aperienda videatur.

Cum-

Cumque communiter, & quasi una voce, omnium responsum fuisset, Placet; I. S. C. Synodum aperiendam esse decrevit his verbis:

Christi nomine invocato, pronunciamus, & decernimus, Synodum Diocesanam Osnabrugensem, legitime à Nobis indictam, convocatam & congregatam, aperiendam esse; prout eandem aperimus, apertamque esse declaramus, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen.

Hoc responso accepto, idem Vicarius Episcopi, Illustrissimam Celsitudinem suam his verbis est allocutus:

Illustrissime, &c. in Synodis celebrandis, laudabilis est consuetudo, ut aliqui viri Ecclesiastici deputentur, qui procurent, ut omnia rite decenterque fiant, & totius Synodi Acta fideliter conscribantur. Quare Illustrissimam Celsitudinem Vestram, pro hujus Synodi congregatæ promotione, humillime rogo & requiro, ut Viros aliquot idoneos, Promotores & Actuarios Synodi, publicè deputare & nominare dignetur.

Ad quæ Illustrissima Sua Celsitudo se resolvit, sequentibus verbis:

Eligimus, nominamus, & deputamus, ex Capitulo Ecclesiæ Nostræ Cathedralis, Iodocum Fridericum Vincke Canonicum, te Albertum Luccenium, Vicarium nostrum in Spiritualibus generalem, Iodocum ab Hoxar L.L. Licentiatum, Officiale pariter Nostrum, in Promotores; in Actuarium vero Iodocum Vphaufs I. V. D. Canonicum & Cantorem Collegiatæ Ecclesiæ sancti Ioannis, Civitatis Nostræ Osnabrugensis.

Deputati vero Domini Promotores & Actuarius, in mensa, quæ in medio ante Altare posita erat, confederunt. Tunc subinde I. S. C. Synodum est allocuta conceptis fere verbis: Venerabiles Sacerdotes, & Fratres charissimi, &c. ut in Pontificali.

Quo absoluto, primus Promotorum, Reverendus & Prænobilis Dominus Iodocus Fridericus Vincke, Synodum sequenti modo est affatus:

Reverendi, Nobiles, Venerabiles, Religiosi Viri ac Domini; Illustrissimus & Reverendissimus Princeps ac Dominus, D. Franciscus Guilielmus, Episcopus Osnabrugensis, Dominus Noster clementissimus, sub pœna excommunicationis, aut alia quavis arbitraria, mandat ac præcipit omnibus & singulis, in Synodo Diocesana hic præsentibus, & ad eandem vocatis, ne aliquis absque Illustrissimæ & Reverendissimæ Celsitudinis suæ licentia & consensu discedat, donec Synodus hæc debitè finita, & cum benedictione dimissa fuerit.

Hoc mandato præmissò, per D. Vicarium Episcopi, reproductæ sunt literæ citatoriæ ad Synodum, cum adjuncta protestatione, eas sufficienter transmissas, & legitime intimatas, & per Diocœsin in diversis publicis locis affixas fuisse.

Vt vero de præsentium & absentium distinctione constaret, demandatum fuit Notario communi Curiæ Episcopalis Osnabrugensis Gerardo Brickwedde, ut omnium & singulorum nomina, antiquo more, alta voce pronunciaret, iussimque, ut, qui personaliter adessent, suam præsentiam per verbum AD SVM contestarentur, absentium vero nomina singulariter notarentur; quod & factum est.

Vbi vero compertum fuit, nonnullos ab esse, tertius Promotorum, R. D. Officialis, huiusmodi absentiam ac non comparentium contumaciam accusavit: atque in pœnas juris Canonici ac Concilii Tridentini eos incidisse, declarari petiit, his fere verbis:

Illustrissime & Reverendissime Princeps ac Domine D. clementissime; cum ex recensito Catalogo appareat, quosdam, ad hanc Diocesanam Synodum legitime citatos & convocatos, qui, de jure vel consuetudine, Synodo interesse tenentur, neque per se ipsos neque per Procuratores comparere, neque emansionis & absentia suæ causas & excusationes legitime misisse, sed contumaciter, & contra sacrorum Canonum & Concilii Tridentini constitutiones, emanasse; Ideo omnium & singulorum, non comparentium, contumaciam accuso, & ab Illustrissima &

Reverendissima Celsitudine Vestra obnixè peto, ut eos, tanquam contumaces, in pœnas Canonicas incidisse declaret, ac nihilominus, horum absentia ac contumacia non obstante, ad ea in Synodo hac procedi decernat, quæ pro honore Dei, morum reformatione, ac disciplina Ecclesiastica, necessaria videbuntur.

Ad hæc Illustrissima Sua Celsitudo sic fuit interlocuta :

Decernimus, ut, non obstante contumacia & absentia non comparentium, nihilominus in Synodo procedatur, tractetur, & determinetur, prout illud ad Majorem Dei Gloriam, & Ecclesiæ utilitatem, expedire visum fuerit; pœnas vero Canonicas, in contumaces statutas, ad ulteriorem deliberationem pro hac vice suspendimus.

Subsecuta deinde est ex suggestu Concio Synodalis, quam habuit Reverendus Pater Guilielmus Aſchendorff Societatis I E S V Theologus, & Cathedralis Ecclesiæ Osnabrugensis Ecclesiastes, de vitiis, præcedentibus temporibus enatis, & adhuc durantibus, deque optima correctionis & reformationis ratione; uti sequitur.

*Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & percatis de via justa. Psal. 2. vers. 12.*

*Reverendissime in Christo Episcopo, Illustrissime Princeps, Clementissime Domine; Admodum Reverendi & Prænobiles Domini, Venerabiles Christi Sacerdotes, cæterique Clerici atque Auditores.*

Vetusta admodum & celebris est, in Ecclesia Dei, habendarum quotannis Synodorum consuetudo; quæ à nascentis fidei Christianæ exordiis, Apostolorum exemplo inolita, usu deinde recepta, legibus & constitutionibus Patrum sanctita, in universas orbis Christiani Provincias permanavit. Id vero Synodorum huiusmodi & sacrorum veluti comitiolorum consilium, ea causa fuit, ut in publica Cleri totius congregatione, de bono communi, de cultu divino, de sacris caeremoniis ac ritibus, de Religionis incremento, de vita & honestate Clericorum, de disciplina Ecclesiastica tuenda, asserendaque immunitate, communi consilio referretur, quidve statuendum in re quavis foret, Anistitis potissimum autoritate decerneretur. Quo quidem ex instituto cum tanta tam luculenta, in diffusum Ecclesiæ corpus ordinemque sacrum, utilitas derivata sit, quantam ab ipsis Hierosolymitani primi

<sup>1</sup> Concil.  
Aurelian.  
5. c. 18.  
Tarracon.  
6. 7 & 8.  
cap. singul.  
annis  
d. 18.

Concilio initiis Orthodoxa Christi Ecclesia, magna nominis sui cum gloria, & militiæ Clericalis dignitate, manasse experta est: ea re faciendum sibi sacrosancta & œcumenica Tridentina Synodus censuit, ut antiquum hunc indicendæ evocandæque quotannis Synodi morem, nova iterum sanctione instauraret. Unde mirum nemini videri debet, quod Reverendissimus & Illustrissimus Princeps ac Dominus, D. Franciscus Guilielmus, Dei & Apostolicæ Sedis gratia Postulatus & Confirmatus Episcopus & Princeps Osnabrugensis, Dominus noster clementissimus, post solemnem suam inaugurationem, pro muneris sui officii ratione, Diæcesis hujus Clerum omnem ad Synodum hanc excoerit: in qua celebranda providus Pastor hoc potissimum spectat, ut, si vel temporum calamitate, vel subreptione Hæreſum, vel hominum incuria, vel disciplina neglectu, vel alia quavis causa casive abusus aliqui in Clerum aut Ecclesiam irrepserint aut irasperint, quibus conspicuus ille & illustrissimus Hierarchicæ dignitatis splendor obsoleverit, si paterna sua cura & providentia, vestra vero industria studioque, aboleantur, quo pristina illa status Ecclesiastici autoritas nitore suo claritateque vindicetur. Hujus sue voluntatis non tam interpretem, quam præconem, ne esse voluit: quem ut de Disciplina Ecclesiastica, ejusque Reformatione, ad Majorem Dei Gloriam, & commissarum ovium utilitatem, ex proposito à me Themate disserentem, benevole attentèque audiat, obsecro quaesoque. Dicam perspicue, & sine cuiusquam convicio, ex divinarum litterarum oraculis, PP. sanctorum monumentis, ex Canonum & Conciliorum Decretis, & fideliter dicam, quid à Clerico quorvis, Sacerdote potissimum, Deo, quid Præsidibus suis ac Magistratu Ecclesiastico, quid proximo, quid sibi met ipsi denique præstandum, si tanto nomini & muneris respondere, si Disciplina Ecclesiastica cultor non seignis haberi velit. APPREHENDITE DISCIPLINAM. Chaldaeus interpretatur: Percipite doctrinam. Pagninus, Vatabl. Iansen. Genebr. ex Hebræo vertunt: Osculamini filium, Dei scilicet; q. d. Messium Dei Filium osculo, obsequii & demissionis indice, excipite, colite, religiose amplectimini. Symnac. & Hiemii transferunt ἡσκουὴν αὐτὸν ὡς πατέρα, Adorate purè, vel castè. alii, Armamini munditia. Nonnulli δὲ ἀξία & ἐπειδείαν, subjicite vos disciplinæ, correctioni, reformationi. Omnes hæc versiones, expositiones omnes, proposito meo mirifice congruunt: significant enim, dandam esse operam nobis (qui in sortem Domini vocati sumus, quibus funes ceciderunt in præclaris) ut Deum in puritate & continentia veneremur, ejusque Filium munditia, velut panoplia spiritali, instructi, revereamur, ut singulari cordis & carnis castimonia, ei, cui initiati sumus, famulemur; ut animum & ingenium doctrina sacra & divina sapientia excolamus; ut Magistratu Ecclesiastico, nobis Dei vice præstituto, disciplinam ac morum honestatem urgenti atque imperanti, libentes volentes obsecundemus. Disciplinæ igitur nomine,

<sup>2</sup> Sess. 24.  
Decret. de  
R. form.  
cap. 2.

mine, Pietas & Religio adversus Deum & res Divinas, subjectio & obsequela erga Præsules Ecclesiasticos, integritas & continentia vitæ in nos ipsos, doctrina postremo sana & integra, cum morum vitæque honestate conjuncta, erga oves curæ nostræ commissas, significatur. Hanc disciplinam serio apprehendendam, hanc vitiorum expultricem, virtutum Matrem, Magistram morum, Gubernatricem vitæ, formatricem status, directricemque operum omnium, amplectendam diligendamque esse, divinus Psaltes & vates Regius contestantur, ut ne irascatur Dominus, ut ne, si extra disciplinam sumus, adulteri sumus, non filii. <sup>1</sup> Hec generatim oraculi Davidici mens est, hic Prophetæ sensus; quem nunc pensulam, eo quo exorsus sum filo, exequar. Prima & vere princeps Discipline Ecclesiasticæ pars est, Religio adversus Deum. Timor enim Domini disciplina sapientiæ. <sup>2</sup> nomine autem Religionis, accipio veram germanamque pietatem, quam, quod Deo divinoque cultui nos dedicet ac consecret, Devotionem interdum nuncupamus, alias divini Numinis Reverentiam; quam finio, constantem fixamque voluntatem servienti ac placendi suprema Majestati: quæ justitiæ universæ cardo, ac salutis nostræ basis, casto timore carnes nostras ita configit, ut nihil æque metumamus, atque Dei vindicis legibus & præceptis prævaricari: pia vero caritate ita viscera succendit, ut nihil æque desideremus, atque in tenerimum immense bonitatis amorem effundi. Hujus prima appendix est, sedula quadam seriæque Ecclesiasticarum functionum, vitæ decenterque administrandarum, sollicitudo ac cura pervigil; quæ quisque in id incumbit, ut sacra officii sui munia, statis vicibus, solemnibus majorum more diligenter obeat, ut incrementum Domini Corporis & Sanguinis Sacrificium offerat, ut verbum Dei pro Concione graviter eruditeque quot septimanis interpretetur, ut Matutinas vespertinæque preces, ex Concilio Tridentini descripto <sup>3</sup> & Ecclesiæ ritum decantet, quæque id genus Cæremoniæ sunt, peragat. Quo in genere nonnullorum socordiam, cottidianis penè querelis, & justa postulatione, pii fidelium animi non tam traducunt quam incusant. Quid enim discurrunt denarium accipis, si in Domini vinea recusas laborem? <sup>4</sup> quid vris de altario, nisi altario servias? nescin, beneficium esse propter officium? & bovi, non trituro, anti, os jure obligari ignoras? Ad eandem religionem pertinet, <sup>5</sup> attenta precum Ecclesiasticarum & horarum Canoniarum cottidiana recitatio, qua septies in die laudem dicamus Deo <sup>6</sup> quam, veluti sacrum quoddam pensum indies absolvendum, filiis suis, Sacerdotibus & Clericis, adeo stricte imposuit injunxitque Mater Ecclesiæ, ut omnes, quotquot vel semel omiserint, culpæ lethalis & peccati mortiferi reos peragat, aliisque præterea censuris devinctos, perceptorum ex beneficiis fructuum prorsus daret; Summularum omnes V. Horæ Canonice. <sup>6</sup> Et non probrosum solum, sed pudendum etiam est, hominem, Ordinibus sacris initiatum, Ecclesiæ redditum ac Christi patrimonio viventem, vanis, prophanis,

levibus, ludicris, fœdis ac spurcis, audiendis, legendis, volvendis, totos sæpe dies & solidas propemodum noctes contere, divinis vero laudibus recitandis tantillum temporis, ad procurandum animæ suæ salutem, demere aut detrabere non posse. Ad idem pietatis caput spectat, ut quisque nostrum diligat decorem domus Dei, & locum habitationis gloriæ ejus, nihil intermitat, quod ad tuenda ornandaque templa & adyta sacra pertinet, ut servantur sacra recta, ut consistat firmiterque fabrica, ut Aræ instarentur & expoliantur, ut Beatorum Cælitum imagines decorè vestiantur, ne ara in havam, templum in horreum degeneret. Et tam en, quæ temporum nostrorum calamitas est, videre est alicubi, magnificas illas, & tantis avorum impendiis erectas fundatasque ædium sacrarum moles, in ruinam inclinatæ, vix parietinis inniti suis: videre est, aras neglectas, incultas, deformatas: videre est Divorum effigies, situ ac squalore obsitas, vix scissili centunculo velatas, naribus, auribus, manibus truncatas, ut Iconoclastarum seculum rediisse videatur. Deplorat sane B. Bernardus, <sup>7</sup> Clericos non in templis Codices, sed in thalamis pellices ornare, plus nitere calcaria quam altaria, &c. nec sine dolore & gemitu, versantur ob oculos aliquorum concubina, & damnato procreati coitu liberi, splendidius ornati quam sancti, meritrices cultiores quam Divorum imagines, & quod dicere horror est, direpta è sacrariis suppelleçili sacra, instrumentoque Ecclesiastico, focaria stolæ amiciuntur, & è pannis Christi, insolentium finguntur vestium novitates. Apprehendite disciplinam, &c. Ephod Davidicum & Theraphim <sup>9</sup> in domo idololatæ Michæ sunt. comedat vos zelus domus Dei. memini qui potestis.

Alterum Discipline Ecclesiasticæ caput est, Demissa ac reverens erga Magistratum superiorem obedientia, & promptitudo parendi. Est enim in Hierarchie Ecclesiasticæ militantis ordine, ad triumphantis illius imitationem atque similitudinem, series quædam dignitatum, & apte digestus graduum ordo; est castrorum acies ordinata, <sup>10</sup> ut quidam imperent, subsint alii; atque ita summus ille Imperator Deus imposuit homines super capita nostra, <sup>11</sup> ut, quemadmodum Angeli Angelis, cæli cælis, sic etiam mortales mortalibus sint subiecti. Alios enim dedit Apostolos, alios Evangelistas, alios Doctores, &c. <sup>12</sup> ne quis Core in Moysen, ne quis Abiron in Aaronem, sine præsentis exitio & portentofo terre hiatu contumaciter insurgeret. <sup>13</sup> Si quis igitur, quem Spiritus sanctus posuit Episcopum, regere Ecclesiam Dei, & attendere gregi Christi, quem acquisivit sanguine suo, <sup>14</sup> si quis, inquam, sarcinæ sibi impostæ onerisque incumbens gravitatem, si quis rationis illius, quam pro creditis sibi ovibus reddendam agnoscit, severam commonitionem comminationemque expendens, collapsam alicubi disciplinam erigere, depravatosque mores ad sacrarum Canonum & Ecclesiasticarum legum

<sup>7</sup> Psal. 25. vers. 8.

<sup>1</sup> Ad Pastores in Synodo.

<sup>9</sup> Judic. 17. v. 5.

<sup>10</sup> Cant. 6. vers. 3, 9. <sup>11</sup> Ps. 65. vers. 12.

<sup>12</sup> I Cor. 12. v. 28. Ephes. 4. vers. 11. <sup>13</sup> Num. 16. vers. 32. <sup>14</sup> Act. 20. vers. 28.

<sup>1</sup> Heb. 12. vers. 8.

<sup>2</sup> Prov. 15. vers. ultimum.

<sup>3</sup> Sess. 24. de Refor. cap. 12.

<sup>4</sup> Matth. 20. v. 2. <sup>1</sup> Cor. 9.

<sup>5</sup> Ps. 118. vers. 164.

<sup>6</sup> Petrus Binsfeldius Pastorale p. 4. c. 8. Nativitat. Trinitat. de Orat. Pius V. Bulla ex proximo anno 1571.



- normam exigere, si quis ex officio scandala de regno Dei colligere: <sup>1</sup> & auferre admittatur, nemo obliuiscetur, nemo detrectet, alligaturam vulneris refugiat nemo: nemo, quod muneris est, auferitati; quod æquitatis, rigori nemo tribuat. Apprehendite Disciplinam, &c. Obedite, clamat Paulus, <sup>2</sup> Præpositis vestris & subiacete eis: ipsi enim pervigilant, &c. Stulti enim est irridere disciplinam patris sui <sup>3</sup>. & quæ dementia, quod furoris cacotiëhes est, nolle curari, & instar phrenetici impotenti in Medicum furore bacchari? desperatæ peruiocaciæ est, si homo seminecus plagis confectus, & suo ipse in sanguine volutatus, oblatum à bono Samarite, vel oleum quod molliat, vel vinum quod mordeat, admittere recuset. <sup>4</sup> Audite igitur increpationes, correptionem & disciplinam exosculamini; nemo cum corripitur indignetur, nemo suam sibi turpitudinem ac deformitatem erugari doleat, quò virvida illa ac venusta Ecclesiastici corporis facies ac species, vel unius nervo obsoleta, hac velut interpolatione reuoluetur.
- Tertia Ecclesiastica discipline pars est, ut ii cum primis, quos Bonus ille Pastor & Pastorum Princeps, per suos in terris Vicarios pascendis ovibus suis legitime præfecit, <sup>5</sup> ea omnia examussim præstiterint, quæ tanti muneris dignitas atque amplitudo, quæ propria vocationis ratio, quod ovium pædo suo commissarum necessitas, quod præstruum ultronea sponsonne iusjurandum postulat. Iis explicandis ne ego immorer, velim, ab omnibus cap. 33. & 34. Eszech. Prophetæ accurate perlegi & attente expendi. Interim duo quædam ad id necessaria esse video, Scientiam qua possit, & Caritatem qua velit, proximo opitulari: Scientiam quidem, quia dictum est, Labia Sacerdotis cultodiunt scientiam, & legem ex ore ejus &c.
- <sup>6</sup> Et sane ducem cæcorum, lumen eorum qui in tenebris sunt, eruditorem insipientium, Magistrum infantium, habere oportet formam scientiæ & veritatis in lege; <sup>7</sup> nec quicquam perniciosus est ovibus, quam si divinarum maxime verum ignarum, aut quod pejus foret, pravus suspectisque & ab Ecclesiæ sensu alienis opinionibus imbutum Parochum sive Curionem nanciscantur, qui parvulis petentibus panem frangere, qui in sana doctrina exhortari, qui ignorantes docere, qui errantes instruere, qui contradicentes arguere, non possit. <sup>8</sup> Hæc præconum sacrorum ruditas, hæresum plurimarum ac dissonsonum, hæc offensionum & scandalorum, hæc superstitionum aliorumque infinitorum pene malorum autor ac parens est: hæc inscientia Parochos suis risui, Hereticis ludibrio, contenti omnibus exponit. fieri enim vix potest, quin, cuius vita ob ignerantiã contemnitur, ejus etiam prædicatio despiciatur. <sup>9</sup> Studeant igitur animarum Curatores scientiæ sanctorum, dent operam scientiæ illi, quæ defursum, quæ suadibilis, quæ modesta, quæ pudica est; <sup>10</sup> gerant in pectoris sui Rationali veritatem & iudicium, & necessariam tanto muneri cognitionem assiduo comparent lectionis & orationis labore: nec à Scho-

lis trivialibus ad Ecclesiarum suggestus, à scæmnis ad ambonos, à primis secularium literarum rudimentis ad gravissimorum profundissimorumque Mysteriorum tractatum provolent, tum se apprime eruditos, tum magnifice concionatos rati, si phrasologiam putida rhapsodia concinnarint, aut ex genico quoquam scriptore historiam Ethnicam aut ex Poëta fabulam pro concione recensuerint. Erudimini, qui non terram, sed animas, sed conscientias judicatis. <sup>11</sup> Apprehendite disciplinam. Quoniam vero, teste Apostolo, <sup>12</sup> scientia ea, quæ amore Dei proximique destituta ac cassa est, inflat, idcirco scientiæ adjungenda est charitas quæ ædificat; ut nempe fidelis Pastor, summi Pastoris exemplo, <sup>13</sup> oves suas charitate prosequatur non scilicet, quærat quod perit, reducat quod abjectum est, consolidet quod infirmum est, sanet quod eorotum, alliget quod confractum est; recte consulat dubitantibus, solletur maestos, ægris medeat, sanos confirmet ac roboret, satagat gregis illius, qui non corruptilibus auro & argento, sed precioso sanguine Agni immaculati, in libertatem filiorum Dei assertus est; <sup>14</sup> illum infontem innocuumque, illum locum, sicut gregem tonsarum, summi Pastoris tribunali sistat, permississimumque sibi habeat, sanguinem omnium à sua iri manu requisitum.

Reliquum est, ut exponam, quo quemque pacto in semetipso disciplinam apprehendere conveniat, quod non tamen meo sensu, quam SS. Patrum Conciliorumque, & autorum gravissimorum, verbis & sententiis brevissime factum eo: si tamen ante, solemnem omni jure formulam, fuero protestatus, citra ullius injuriam, citra noxam, me dicturum de vitis, personis paxsurum. Duplicem igitur, ab unoquoque Sacerdote ac Clerico, erga semetipsum, Disciplinam apprehendam censeo: Internam & Externam. Internam disciplinam apprehendit, qui animum suum continet à vitis, & à flagitiis cohibet, qui non abit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stat, cujus voluntas in lege Domini <sup>15</sup>, qui cordis munditiam diligit, & conscientiæ amat puritatem; qui nihil, Deo exosum irvisumque, animo permittit suo, qui vocationis suæ sanctæ professionisque Ecclesiasticæ memoret, tanquam Angelus Domini exercituum, abstinet ab omni inquinamento Carnis & Spiritus <sup>16</sup>; qui, si aliquando casu, vel naturæ fragilitate, aut titubet aut cadat, lapsus suum contritione serâ & vera Penitentia Confessioneque corrigit atque emendat. Hanc disciplinam severe inculcat Concilium Trident. <sup>17</sup> ut nemo, mortalis peccati sibi conscius, quantumvis contritus sibi videatur, ad Eucharistiam sumendam vel offerendam accedat, nisi prius animi sordes confessione Sacramentali eluerit, quo enim (exclamat Chrysostomus) <sup>18</sup> solari radio non oportet esse splendidiorum manum, Carnem hanc dividendam, os quod igni spirituali repletur, linguam quæ tremendo nimis sanguine rubeat?

Sane

Sane veteris aliquis Instrumenti Sacerdos, si inexpectatus, si illoratus, si pollutus accederet, subita morte multabatur: <sup>1</sup> legis novae Sacerdos, ad reverenda illa tremendaque Myſteria, pro salute vivorum mortuorumque offerenda, gravi crimine & turpi ſcelere contaminatus impune accedat? Miſeranda proſecto eſt ſacrilega illorum temeritas, qui ſpurciſſimis ac ſædiſſimis peccatis, publica fidelium offenſione, hebdomadas, menſes, annos totos immerſi, quotidie ſacris operantur, pollutoque corpore, & animo inquinato, divina illa Myſteria & ſumere & diſpenſare non perhorreſcunt: aut tum præclare ſuis ſe partibus ſunctos eſſe arbitrantur, ſi ædituo ad pedem Altaris generalem peccatorum Exhomologeſin deblaterent, vel e vicinia, divini humaniq; imperitum juris Sacerdotem, eodem ſecum luto ſordidatum accerſant, qui mulus mulum ſcabat, qui inſolatum æthiopem non dealbat ſed denigret, non ſolvat ſed liget, ætioribus cenſurarum plagis ac nodis irretitum, ut fiat filius gehennæ duplo <sup>2</sup> quam ante, & qui ſordidus erat, adhuc ſordelcat. <sup>3</sup> Apprehendite diſciplinam, &c. Lavamini, mundi eſtote, qui fertis vaſa Domini, &c. <sup>4</sup> Sancti eſtote, quia Deus, cui ſervitis, ſanctus eſt. <sup>5</sup> Hæc de interna diſciplina. Externam autem apprehendit, qui, quicquid in familia, quicquid in veſtibus, quicquid in menſarum luxu redundat, abcidit & amputat. Incipiam à menſarum luxu. <sup>6</sup> Dedit olim ſaliaris Pontificum cœna proverbio nomen; nunc Clericorum Bacchanalia, nunc prandia ad invidiam opipara, calumniandi anſam Hæreticis juxta ac Catholicis præbent. ſcimus ſobriam, ſcimus frugalem eſſe debere Clericorum menſam, ut Conc. Antiochen. <sup>7</sup> etiam atque etiam præcipit; ſcimus, eſſe dotes pauperum, patrimonium Chriſti, opes Clericorum, ut Bernard. inculcat; ſcimus, edere nos peccata populi, non irritamentum luxuriæ; ſcimus, non vinolentos ſed ſobrios eſſe Sacerdotes oportere; ſcimus, hic frenum effreni gula eſſe injiciendum: interim ſuſpectos nos faciunt cotidianam prope convivium, vita mollis & delicata, continuata noctes & dies ſympoſia, in iſſque tympanum, tibia ac lyra: nec tamen hoc crimen multorum eſt paucorum profuſio, inſontes crudelitate infamat; alii, quibus domi perpotandi nec facultas eſt nec copia, tabernas frequentant, & ſcurriles ineunt cauponas, atque in gurguſtiis cum ruſticana fœce ac turba, inter ambulatarum conſortia, cum collectis è trivio balatronibus, de vacuandis poculis concertantes, Lapitharum more, depugnant. Apprehendite diſciplinam, &c. De veſtibus periculoſior eſſet tractatio, niſi, quid in habitu permiſſum, quid illicitum, Manticon. Conſtan. Vien. & Trident. <sup>8</sup> Concilium deſiniſſet. Deſtantur SS. Patres illos, qui non Clerici ſed ſponſi, non Sacerdotes ſed proci ſunt, qui comas calamiſtro in æthiopicum prope cincinnum intorquent, qui variegata & virgata diverſicolorum veſtium inciſura ſarturæque pavones referunt non Clericos aut Presbyteros, qui plicata in manticis, extenſa in perticis, ornamenta oſtendant. hic eſt niſor ille me-

ritricius, hiſtrionicus ille habitus, quem mellifluus Bernardus gemens deluget; qui ſacris legibus & gravi panarum interminatione caſtigatus, juſtam reprehensionem meretur; de quo in Decretalibus <sup>9</sup> & in Concil. Tridentino. Sane non ornatu, ſed Clericalis habitus majeſtate, cultus modestia, moderato ac Religionis pleno amictu, Clericorum omnium veſtes circumſcripſit, concluditque: <sup>10</sup> ut honeſtatem illam probet geſtus, probet inceſſus, probet habitus, ne minus pallium oſtendat Philoſophum, quam tunicam Canonicum aut Sacerdotem.

Poſtremum quod pertractandum eſt de diſciplina caput, eſt de familia Clericorum. Non omnes uno pede metior, ſed juxta gradus, generis, officii- que diſparitatem, vel amplius indulgendum ſcio, vel minus novi permittendum. Non queror jam e- quorum phaleras, canum millos, ſervorum examina, pompam ſecularem; queritur de iis Bernardus ſerm. ad Paſtores in Synodo: Permiſit ſibi multum in hoc genere Clericalis nobilitas, Principum ſuorum Præſulumque vel diſſimulatione excuſata vel munita exemplo. Enimvero, ſi alterutrum ferendum eſt, ut vel ſuperflua alatur familia vel inhoneſta, tolerabilis proſecto eſt, opes Eccleſiæ in dignam generoſa indole recreationem, quam in propudioſam voluptatem & meretricios amores impendi. Invenias enim nonnullos, qui ſtatus ſui immemores, obliſi jurisjurandi, & fœderis quod cum Deo de perpetua vite continentia pepigerunt, ſoveant domi ſuæ focarias, alant ſpurcas lupas, ac lenas, pudicitiaſque ſuæ expugnatrices alienæ, quas uxorum & conjugum non tantum loco habeant ſed nomine etiam dignentur: alii vaga diſſoluti laſcivia, tanquam equi emiſſarii, <sup>11</sup> ad incontinentiſſimum quodque ſortium aut adulteram adhinniunt, trahuntque ingentes liberorum ſpurriorum greges. hæc in propatulo ſunt; quæ vero in occulto fiunt ab iſtis, turpe eſt & dicere <sup>12</sup>. O lamentabilem Eccleſiæ ſortem! ô miſeram conditionem ſponſæ Chriſti, quæ, talibus credita par- nymphis, tam probroſa impudicitia inceſtatur! Apprehendite diſciplinam, &c. Filii Hei, Sacerdotes Dei, conſueſcunt cum mulieribus; ne con- vineat indulgens Pater, fracta aliàs cervicæ pœnas luiturus. <sup>13</sup> Perſtringit id genus hominum, quos in- audito in puriore Eccleſiâ, nunc paſſim pervulgato nomine, Concubinarios vocat, integro volumine Pindarus, <sup>14</sup> & alii, qui allatis inſelicibus & om- niſis exitibus, conantur à facinore deterere, & in- fauſtam occidunt catastrophen pudendæ tragœ- diam; vix tamen paucis perſuadent, ut perſonam ponant; an interim aures illis non tinniant, ſi con- torta in ſe ſanctorum Dei vivorum fulmina, non bruta ſed bimuga, audiant? clamat Propheta O- ſeas: <sup>15</sup> Quia ſpiritus fornicationis in medio Sacerdotum, quia genuerunt filios alienos; erunt in iniquitate ſua, devorabit eos enſis, erunt in deſolationem, effundam ſuper eos, quaſi aquam, indignationem meam, &c. Clamat S. Bernard. <sup>16</sup> Fornicatores audent agni im- maculati ſacras contingere carnes, & intingere in ſangu-

Decr. tit. I.

Triad. de Reform. ſeſſ. 22. c. 1. Lan- gegeru. lib. 2. c. 2. 3. 4.

Jerem. 5. v. 8.

Eph. 5. v. 12.

I Reg. 2. v. 22.

Spec. Concup. Rebuff. de Concor. Gall.

Cap. 5.

De gra- dibus hu- militatis.

Lev. 22. v. 9.

Matt. 23. v. 15.

Apoc. 22. v. 11.

Iſ. I. v. 6.

Levit. 19. v. 2.

Langem crucius lib. 3. c. 9. & 10.

ſeſſ. 24. c. 1. ex cauſa 12. q. 2.

ſeſſ. 14. c. 6.

sanguine Salvatoris manus nefarias, quibus paullo ante carnes meretricis atrectaverant, &c. Clamat Trident. <sup>1</sup> indignissimum esse, Clericos in impudicitie sordibus, immundoque concubitu, communi omnium fidelium offensione, summoque Clericalis militie dedecore versari; jubet severis in illos pœnis animadvertere, privare fructibus & proventibus, ferre suspensione & excommunicatione, carcere, inhabilitate, aliisque supplicis petulantem procaciam cohibere, & tamen, &c. Ite ite in vindicias, ite in ultionem, Præsules Ecclesiarum, Dei cum potestate Ministri; <sup>2</sup> sat jam ignominiosa illa labe nomine Ecclesiastico, & dignitati sancti status, cum dedecore sempiterno iniusta, adversariorum in nos stilos dentesque exacuit; sat exercuit libidinem calumniandi effrenatam, satis magnam Ecclesia stragem dedit, crebra turpionum herum ab Ecclesia defectio, in Ecclesiam data offensio: sat hactenus Superiores commixerunt; dissimul. re porro per leges per conscientiam non licet. Apprehendite disciplinam.

Atque hæc sunt, quæ ad disciplinam Ecclesiasticam pertinent, quæ indigent reformatione; in quibus si quidpiam delictum erratumve sit, apprehendenda est disciplina, incipiendum à timore Domini, & parturiendus est spiritus salutis, conciliandus per seriam penitentiam errorum, & detestationem criminum, Deus; mos gerendus Reverendissimo atque Illustrissimo Episcopo & Principi nostro; audiendi sunt morum nostrorum vitæque inspectores; restituenda in integrum status Ecclesiastici dignitas; amputandus luxus omnis & effusa in libertatem protervia, vel formidine pœnæ vel virtutis amore coercenda, ut vere simus lux mundi, sal terræ, <sup>3</sup> decus Ecclesiæ, ornamentum Religionis. Susinuit hactenus culpe nostras, magna patientia, magno miraculo, Deus, & protensam in vindictam ac verbera manum suspendit; sed verendum omnino est, ut tarditatem pœnæ, supplicii gravitate compenset. <sup>4</sup> Miserationi sumus amicus; probro, hostibus; immortalibus ingrati, mortalibus graves. Insurgebant in nos non ita pridem undique seditiones ac bella, impendebat cervicibus nostris barbaricus ensis, extremam nobis perniciem sectarii machinabantur; jam spe devorant possessiones nostras, jam bona, jam capita subbasant, jam ferro ignique in fana, in templa, in adyta, deserviebant; jam fidas suas jugulis nostris intendant, jam ebulliente in internecionem nostram sanguine, dextras suas cruore nostro imbuere gestiebant, & ni divinus ille custos, qui nec dormitat nec dormit, pro nobis excubisset, submisso nobis vindice & assertore, omnia jam flamma tulerant inimicus & hauserat ensis. Corrigendi mores, emendanda vita, eluenda peccata, & vestis delinquentie maculis obsoletata, stertibus expurganda est, commune incendium, peccatorum nostrorum fomite excitatum, penitentiae lachrymis, quasi inundatione quadam, sopiendum est & restinguendum; castis precibus propitiandum est numen, irati Dei vulnui obijciendus est unigenitus ejus Filius, in Crucem pro nobis

actus, Caro illius innocentissima, clavis trajectory, vulneribus sauciata, & suo perspersa Sanguine, in sacrificio incruento offerenda, ut eo spectaculo, quasi salutaris iridis conspectu, mitigatus Pater, temporariam a nobis profliget pœnam, & ultionem avertat sempiternam. Dixi.

Absoluta Concione, primus Promotorum, iterum Synodum his conceptis verbis est allocutus:

Illustrissimus & Reverendissimus Princeps ac Dominus, D. Franciscus Guilielmus, Episcopus Osnabrugensis, quantum hujus Diœcesis Osnabrugensis & ejusdem Ordinum ac personarum conditio & qualitas, horumque temporum in quibus versamur difficultas, ferre potuit, nova Statuta Synodalia, sacris Canonibus & Concilio Tridentino conformia, confici & conscribi curavit; quorum lectio nunc publicè ex pulpito alta & intelligibili voce fiet. Quare ex mandato Illustrissimæ Suae Celsitudinis vos omnes hic præsentés in Domino adhortor, ut diligenter auscultetis, & si quid ulterius pro communi bono & Ecclesiasticæ disciplinæ ac libertatis conservatione proponendum esse existimetis, id cum debita moderatione ac reverentia in medium proferatis, ut communi studio omnia ad optimum Ecclesiæ statum dirigantur, ad laudem & gloriam omnipotentis Dei.

Hoc dicto, Reverendus D. Conradus Bueren, Cathedralis Ecclesiæ Curatus, Reverendissimum & Illustrissimum Episcopum accessit, & flexis genibus, novis Statutis Synodalibus ab Illustrissima Sua Celsitudine receptis, pulpitem ascendens, lectionem novorum Statutorum aggressus est.

Finito primo capite Statutorum, statim ac professionem Fidei, ex decreto Concilii Tridentini conceptam, tanquam veritatis regulam ac fundamentum pietatis, sanctarumque actionum felix initium, prædictus D. Bueren exorsus fuit; omnes simul ad Illustrissimæ Suae Celsitudinis exemplum, detectis capitibus, manibus junctis stantes, exceptam lectionem, devoto sunt affectu profecuti; ad illa vero verba in fine, Sic me Deus adjuvet, &c. omnes & singuli in genua prociderunt, excepta Illustrissima Sua Celsitudine. finita professione Fidei, & præstito Iuramento, omnes iterum surrexerunt; quos stantes Illustrissima Sua Celsitudo

<sup>1</sup> Sess. 25.  
de Ref. c.  
14.

<sup>2</sup> Lange-  
crucius  
lib. 6. c.  
25.

<sup>3</sup> Matt.  
5. cap.

<sup>4</sup> S. Hiero-  
nym.

situdo magnò affectu, & publica contestatione, est effata, in fine subjungens: qui aliter fenserit, anathema sit; qui aliter docuerit, anathema sit. Hæc est sola & vera Fides Catholica, extra quam nulla salus. Hanc solam omni diligentia docuimus. Hanc solam totis viribus defendemus. Hanc ad ultimum usque spiritum servabimus PP. Quod omnes ad singula, acclamatione fausta, & communi indice voluntatis paratæ, per verbum Placet confirmaverunt. Omnibus postea confidentibus, per ordinem, lectio Statutorum Synodaliū ad horam duodecimam producta fuit.

Audito pulsu ad salutandam Virginem Deiparam, admonente Illustrissima Sua Celsitudine, salutatione Angelica peracta, per Vicarium suum in Spiritualibus, Sessionem hanc finiendam, & hora secunda post prandium, secundam incipiendam intimavit; decernens, ne quis sine licentia ejusdem Illustrissimæ Suæ Celsitudinis, vel discederet ex urbe, vel ad Synodi Sessionem alteram non compareret, sub poena excommunicationis. Et sic Illustrissima Sua Celsitudo, data prius per Reverendissimum Episcopum Cardicensem benedictione solemnī, ex loco recessit, Prælatos & deputatos secum ad prandium deducens, reliquis omnibus ad sua dimissis.

Hora prima, iterum datum fuit signum majori campana in Ecclesia Cathedrali per horam. Instante hora secunda, Illustrissima Sua Celsitudo in sua Cappa Episcopali ad Ecclesiam reversa, & totus Clerus, iterum congregatus, comparuit in Choro; ubi per Reverendissimum Episcopum Cardicensem, in Pontificalibus ante Altare constitutum, incepta fuit Antiphona *Propitius esto*, ut in Pontificali Romano. finito Evangelio, & subjunctis orationibus, iterum cantatus fuit Hymnus *Veni creator* &c. & cum processione, ut mane, reversi sunt omnes ad locum Synodalem; ubi Reverendissimus Episcopus Cardicensis subjunxit orationem de Spiritu sancto.

His peractis, omnes iterum suo ordine confederunt, & Curatus Cathedralis D. Conradus Bueren lectionem Statutorum & continuationem ex suggestu resumpsit.

Ad Caput 17, partis 2, ubi perventum, Examinatores Ordinandorum in specie deputati sunt ab Illustrissima Sua Celsitudine & promulgati:

Admodum Reverendus & prænobilis Dominus Sixtus à Liauckema, Præpositus Cathedralis Ecclesiæ Osnabrugensis.

Admodum Reverendus & Prænobilis Do-

minus Theodorus Morrien, Decanus Cathedralis Ecclesiæ Osnabrugensis.

Reverendus Dominus Albertus Luccenius, Protonotarius Apostolicus, & Vicarius in Spiritualibus Generalis.

Reverendus Pater Nicolaus Altenhaufs, Prior Prædicatorum.

Reverendus Pater Theodorus Reinfelt, Guardianus Franciscanorum de Observantia.

Reverendus Pater Ioannes Altingh, Rector Collegii Societatis Iesu.

Reverendus Pater Guilielmus Aschendorff Societatis IESU, in Cathedrali Ecclesiastes.

Reverendus Pater Casparus Münsterus Ordinis Carmelitarum, SS. Theologiæ Doctor, & Pastor Parochialis Ecclesiæ B. Mariæ Virginis designatus.

Reverendus D. Conradus Bueren, Plebanus in Cathedrali Ecclesia.

Reverendus Dominus Ewaldus Marchius, SS. Theologiæ Licentiatus.

Hi omnes & singuli ordine accesserunt ad Sedem Illustrissimi Episcopi, & osculata dextra Suæ Celsitudinis, præstiterunt juramentum requisitum.

Ad Caput 18. Iudices delegati causarum Apostolicarum, similiter nominati sunt:

Admodum Reverendi & Prænobiles D. D. Præpositus & Decanus Cathedralis Ecclesiæ, supra positi.

Item Reverendus D. Iodocus Hoxer I. V. L. & Illustrissimæ Suæ Celsitudinis Officialis.

Item Reverendus D. David Fabricius, Decanus Collegiæ Ecclesiæ sancti Ioannis.

Item Reverendus D. Iodocus Vphaufs, I. V. Doctor, Canonicus & Cantor dictæ Ecclesiæ Collegiæ sancti Ioannis.

Qui omnes & singuli, osculati dextram Illustrissimæ Suæ Celsitudinis, præstiterunt fidelitatis Juramentum.

Similiter etiam observatum est ad Caput 19. in Censore librorum; qui declaratus fuit Reverend. Pater Casparus Münsterus, Ordinis Carmelitarum, SS. Theologiæ Doctor, & Pastor ad B. Virginem designatus, tunc absens in negotiis Illustrissimæ Suæ Celsitudinis.

Post quæ Lector Statutorum perrexit, & ad Caput 20. de Pœnitentiario, commissum Officium proclamavit Reverend. P. F. Theodoro Reinfelt, Guardiano PP. de Observantia & Theologo; qui similiter, ut supra, præstitit obedientiam, & juramentum.

Lectio Statutorum Synodaliū integrè finita, D. Vicarius in Spiritualibus, jussu Illustrissimæ Suæ Celsitudinis in medium procedens, compellavit omnes & singulos: num cuiquam placeret aliquid amplius proponere, quod ad hujus Synodi discussio-

cussionem decisionemque spectare possent.

Omnibus vero tacentibus, post aliquod intervallum, idem D. Vicarius, subsequentem Protestationem, contra absentes & contumaces, coram toto Synodali consensu, his verbis interposuit, versus Actuarium hujus Synodi deputatum D. Iodocum Vphaus I. V. D. & Canonicum ac Cantorem sancti Joannis Osnabrugensis:

Merito Illustrissimus & Reverendissimus Princeps & Episcopus Osnabrugensis, Dominus noster clementissimus, molestè ferre potuit quorundam, qui in Synodo Osnabrugensi, de jure vel consuetudine, interessè tenentur ac legitime vocati sunt, absentiam ac contumaciam: quod propter horum temporum injuriam, in nonnullis depravatis in religione opinionibus, ac detractioni obedientiæ Episcopalis, ac inde natæ contumaciæ, in aliquibus etiam, aliis respectibus & considerationibus deputandum est. Ne vero per hujusmodi inobedientiam & contuma-

ciam, aut alias per quemcumque respectum alium, de Episcopali autoritate ac Dicecesana Jurisdictione aliquid detrahi, aut aliis inde libertatis aut exemptionis alicujus prætextus, nunc aut posthac accedere posse videatur; nomine ac vice Illustrissimæ & Reverendissimæ Celsitudinis Sux, coram toto Synodali consensu, & nominatim coram te Actuario seu Notario, ad ejusdem Synodi Acta scribenda deputato, solemniter protestamur, absentiam non comparentium Dicecesanæ Synodi jam celebratæ & in posterum celebrandæ, aliisque competentibus Juribus Episcopalibus, in nullo præjudicare debere. Ut vero certa horum notitia nunc & futuris temporibus habeatur, petimus, hanc declarationem & protestationem, ad Acta hujus Synodi conscribi ac referri.

Post hanc protestationem Illustrissima Sua Celsitudo Vicario suo in Spiritualibus, Synodum finiendam, & Decretum sequentis tenoris ex pulpito publice legendum, injunxit.



C H R I -

CHRISTI NOMINE  
INVOCATO.

Nos FRANCISCUS GVI-  
LIELMVS, Dei & Aposto-  
licæ Sedis gratia, Episco-  
pus Osnabrugensis, Præ-  
positus Ratisbonensis,  
Comes de Wartenberg,  
Dominus de Waldt, &c.

Constitutionibus Synodalibus, in hac Synodo Osnabrugensi publicè propo-  
sitis, lectis, discussis, ac promulgatis, maturo consilio & deliberatione, ac unanimes consensu, pronunciamus, decernimus, ac declaramus, Synodum hanc in Dei nomine concludendam fore & esse; prout eam ordinaria auctoritate Nostra concludimus; mandantes, ut omnes & singulæ Constitutiones Synodi præfatæ, quantum per horum temporum difficultates fieri potest, ab omnibus inviolabiliter, præsertim quæ Catholicæ Fidei professionem, Sacramenta, Caremonias, & totius Cleri sæcularis & Regularis vitam moresque concernunt, serventur, atque à Vicario, Officiali, nec non Ecclesiarum Prælati, Superioribus, & Officiatis Nostris, pro ratione cujlibet officii, executioni demandentur: Facultatem Nobis, & successoribus Nostris, ea omnia & singula declarandi, quatenus opus fuerit, reservantes in his scriptis.

Quo Decreto pronunciato, Vicarius Episcopi, ex mandato Illustrissimæ Sæ Celsitudinis publicè omnes & singulos interrogavit;

Admodum Reverendi, Nobiles, Magnifici, Venerabiles, & Religiosi Viri. Illustrissimus & Reverendissimus Episcopus & Præfident, Dominus noster clementissimus, omnes & singulos per me interrogat, num vobis placeat, ut ad Dei omnipotentis laudem & gloriam, huic sacre Synodo Episcopali Osnabrugensi finis imponatur.

Omnibus id consimili voce placere respondentibus, idem Vicarius Episcopi, Notarium Synodi subsequenter verbis requisivit:

Domine Notarie, nomine Illustrissimi & Reverendissimi Principis & Episcopi, Domini nostri clementissimi, hujus Synodi Præfidentis, una cum Dominis collegis, deputatis Promotoribus, nomine etiam totius præfatæ Synodi, à te requiro & postulo, ut omnia & singula, in hac Synodo proposita, acta, tractata, decreta, & definita, diligenter ac fideliter conscribas, unum vel plura, instrumentum vel instrumenta, ad petitionem eorundem quorum interest, de iis omnibus conficias, & confecta tradas.

His actis, Illustrissima Sua Celsitudo, nonnulla ad Synodum prolocuta, ac Deo gratias agens, seque juxta ac suos pios conatus, precibus & piis votis præsentium commendans, Reverendissimo P. in Christo D. Joanni Pelingio, Episcopo Cardicensi, Suffraganeo Paderbornensi, annuit, ut is pro conclusione Synodi & erratorum deprecatione, ex Pontificali Romano, pro more legeret orationem, *Nulla Domine, &c.* Qua finita, idem Reverendissimus D. Suffraganeus incepit Canticum, *Te Deum laudamus, &c.* accedente Campanarum solemnè compulsionatione. & interim, ex loco Synodali, ordine processum fuit ad Chorum Templi Cathedralis. Canticum completo, subjuncta fuit generalis confessio, & solemnè absolutio. promulgatiq; Indulgentiis, & data solemnè Benedictione Episcopali, Magister Cereemoniarum D. Hippolytus Franciottus, ad Synodum conversus, alta voce cantavit, *Recedamus in pace.* Cui præsentibus responderunt, *In nomine Christi.* Et sic finis impositus Synodali conventioni, recedentibus omnibus qui venerant, Dominis Prælati & aliis plerisque ex Clero Illustrissimam Suam Celsitudinem deducantibus & comitantibus usque ad Residentiæ domum.

Et quia ego Iudocus Vphaufs  
I. V. D. Comes Palatinus, Cantor & Canonicus Ecclesiæ Collegiatæ sancti Joannis Osnabrugensis, à supramemorato Reverendissimo & Illustrissimo Domino Præfide in Actuarium deputatus, omnibus & singulis

B præ-

præinfertis actis & actitatis interfui, idcirco præscripta Acta Synodalia, in fidem eorundem, prævia debita requisitione, propria manu subscripsi. Acta sunt hæc Anno à partu Virgineo M D C XXVIII, Indictione duodecima, Pontificatus Sanctissimi Domini Nostri D. Urbani Papæ Octavi Anno sexto; diebus, mense, & loco quibus supra; præsentibus Venerabilibus & Doctiff. Dominis, Hippolyto Franciotti & Petro Dawans, Reverendissimi & Illustrissimi Domini Episcopi Osnabrugensis Capellanis Aulicis, testibus fide dignis.

*Iudocus Vphanſ I. V. D. Comes Palatinus,  
Cantor & Canonicus D. Ioannis, subscripsit.*



INDEX  
M V T T A O X H D M I  
D E C R E T A

E T

CONSTITVTIONES

SYNODALES

OSNABRVGENSES.



# INDEX CAPITVM

## PRIMÆ PARTIS.

- CAP. I. De Religione & Fide Catholica, ejusque Professione.
- CAP. II. Forma Professionis Fidei Catholicae.
- CAP. III. Professio Fidei à quibus faciendafit.
- CAP. IV. De Lectione Sacra, & Verbi Divini Prædicatione.
- CAP. V. De Doctrina Christiana, Catechesi, & Scholis.
- CAP. VI. De Seminariis.
- CAP. VII. De Cultu Divino, officii, & Cæremoniis Ecclesiasticis.
- CAP. VIII. De Temploꝝ ornatu, & Cultu sacrarum Imaginum & Reliquiarum.
- CAP. IX. De Indulgentiis & Purgatorio.
- CAP. X. De dierum Festorum, Esurialium, & Ferialium observatione.
- CAP. XI. De libris prohibitis.
- CAP. XII. De Sacramento in genere.
- CAP. XIII. De Baptismo.
- CAP. XIV. De Sacramento Confirmationis.
- CAP. XV. De Sacramento Eucharistie.
- CAP. XVI. De Sacrificio Missæ, & celebratione Missarum.
- CAP. XVII. De Sacramento Pœnitentiæ, & Casibus reservatis.
- CAP. XVIII. De Sacramento Extremæ Unionis.
- CAP. XIX. De Sacramento Ordinis.
- CAP. XX. De Sponsalibus & Sacramento Matrimonii.

# CONSTITUTIONVM

E T

## DECRETORVM SYNODALIVM

D I O E C E S I S

O S N A B R V G E N S I S

P A R S P R I M A .

### C A P V T I .

*De Religione & Fide Catholica, ejusque Professione.*

I



Vandoquidem exulceratissimo hoc sæculo, & hæreseon feracissimo, tam variæ atque dissectæ in Religione sunt opiniones, ut vel maxime locus sit antiquæ

3 Quare, cum dictum Conc. à Prædecessoribus recol. mem. Iohanne ab Hoya, & Itelio Friderico Cardinale Zollerano, promulgatum receptumque fuerit; placet quoque, ab hac libera apertaue Fidei Catholicæ professione præsentem inchoare Synodum, eamque, in ipso statim limine propositam, variis novatorum Confessionibus seu confusionibus opponere: volentes, & mandantes omnibus & singulis Nostris fidelibus subditis, Ecclesiasticis ac Sæcularibus civibus, Officiatis ac incolis Civitatis & Diocesis Nostræ Osnabrugensis utriusque status & sexus, ut hanc Fidei veritatisque regulam teneant, nec omni vento doctrinæ se jactari aut circumferri patiantur.

4 Quinam vero ex Clero, subditis Nostris & Officiatis ac Iurisdictioni Nostræ subjectis, quove tempore ac loco, hanc professionem expressam, edere debeant, c. 3 describetur.

5 Formula autem Fidei, in Concilio Trid. sapientissime concepta, quam ex sacræ Apostolicæ autoritatis præscripto usurpari ab omnibus & singulis volumus, sic se habet.

#### C A P . II . *Forma Professionis Fidei Catholicæ.*

E Go N. N. firma fide credo & profiteor omnia & singula, quæ continentur in Symbolo Fidei, quo Sancta Romana Ecclesia utitur; videlicet:

Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cæli & terræ, visibilium omnium & invisibilium. Et in unum Dominum nostrum Iesum Christum, Filium Dei unigenitum; & ex Patre natum ante omnia sæcula; Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero; genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & propter

B 3

pter

<sup>1</sup> Rom. 5. Conc. Trid. Sess. 6. c. 8.

<sup>2</sup> D. Paul. ad Hebr. c. 11.

<sup>3</sup> Rom. 10. vers. 10. <sup>4</sup> Conc.

Nic. Conc. Rem. sub Julio 1.

Conc. Hispanen. in prin. Concil.

Confl. 6. art. 17.

Conc. Magunt. c. 1.

Can. ante viginti, cum seqq. de consec. dist. 4. c. 1

De Summa Trinit. Eccl. c. Conc.

Trid. Sess. 3. c. 25.

can. 2. de ref. Cogit temporum.

<sup>6</sup> Ephes. 6. c. 11. 9. 3.

qui resist. Matth. c. 16.

vers. 18.

illi B. Hilarii ad Constantinum querimoniam, qua deplorat, tot esse fides quot voluntates, tot doctrinas quot mores, dum aut ita fides scribuntur ut volumus, aut ita ut volumus intelliguntur; Merito in hanc curam præ cæteris hi incumbere debent, quibus, ex pastoralis officio, cura animarum est commissa; ne ii, quibus sunt præpositi, in fide aberrent, aut in pietate & sanctæ Religionis zelo intepescant; verum ardore ejus magis quotidie inflammentur; errantes vero, & hæreticæ labe infecti, ad Domini gregis unionem revocentur, ac verbo Dei fanentur & confirmentur.

2 Omnium certe virtutum, & actionum bonarum, & meritorum, basis, fundamentum, ipsiusque justificationis prima radix & origo, vera est Fides, ut, dicente Apostolo, impossibile sit sine Fide placere Deo; dum, ut idem alibi asserit, corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem; adeo ut præclare majores consueverint actiones suas, præsertim Conciliares & Synodales, si de Fide moribusque agendum esset, à Fidei protestatione ac professione ordiri; quam etiam demum SS. Conc. Trid. actionibus omnibus Synodalibus, aliisque gravioris momenti negotiis, præmittendam censuit, ut esset tanquam scutum inexpugnabile contra omnes hæreticorum assultus, ac fundamentum firmum inconcussumque, contra quod portæ inferi prævalere non possent.

pter nostram salutem descendit de cælis : & incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine. Et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus & sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum Scripturas. Et ascendit in cælum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria, iudicare vivos & mortuos ; cuius regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum, Dominum & vivificantem : qui ex Patre Filioque procedit, qui cum Patre & Filio simul adoratur & conglorificatur : qui locutus est per Prophetas. Et unam sanctam, Catholicam & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptismum in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum ; & vitam venturi sæculi. Amen.

Apostolicas & Ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiæ observationes & constitutiones, firmissime admitto & amplector.

Item S. Scripturam, juxta eum sensum, quem tenuit & tenet S. Mater Ecclesia, cujus est iudicare de vero sensu & interpretatione SS. Scripturarum, admitto : nec eam unquam, nisi juxta unanimum consensum Patrum, accipiam & interpretabor.

Profiteor quoque, septem esse vere & proprie Sacramenta novæ legis, à Iesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis, necessaria ; scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium : illaque gratiam conferre : & ex his Baptismum, Confirmationem & Ordinem, sine sacrilegio reiterari non posse.

Receptos quoque & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemnè administratione, recipio & admitto.

Omnia & singula, quæ de peccato originali, & de justificatione, in SS. Tridentina Synodo definita & declarata fuerunt, amplector & recipio.

Profiteor pariter, in Missa offerri Deo verum, proprium & propitiatorium sacrificium pro vivis & defunctis, atque in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse vere, realiter, & substantialiter Corpus & Sanguinem, una cum anima & divinitate Domini nostri Iesu Christi, fierique conversionem totius substantiæ panis in Corpus, & totius substantiæ vini in Sanguinem : quam conversionem Catholica Ecclesia Transubstantiationem appellat.

Fateor etiam, sub altera tantum specie totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi.

Constanter teneo, Purgatorium esse, animasque, ibi detentas, fidelium suffragiis juvari ; Similiter & Sanctos, una cum Christo re-

gnantes, venerandos atque invocandos esse : eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum Reliquias esse venerandas.

Firmiter assero, imagines Christi ac Deiparæ semper Virginis, nec non aliorum Sanctorum, habendas & retinendas esse ; atque eis debitum honorem & venerationem imperiendam.

Indulgentiarum etiam potestatem à Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse, assero.

Sanctam, Catholicam & Apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum Matrem & Magistram agnosco ; Romanoque Pontifici, B. Petri Apostolorum Principis successori, ac Iesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo, ac juro.

Cætera item omnia, à sacris Canonibus, & œcumenicis Conciliis, ac præcipue à sacrosancta Tridentina Synodo, tradita, definita & declarata, indubitanter recipio atque profiteor ; simulque contraria omnia, atque hæreses quascunque ab Ecclesia damnatas, rejectas, & anathematizatas, ego pariter damno, rejicio & anathematizo. Hanc veram Catholicam Fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in præsentì sponte profiteor & veraciter teneo, eandem integram & immaculatam, usque ad extremum vitæ spiritum constantissime (Deo adjuvante) retinere & confiteri, atque à meis subditis, seu illis quorum cura ad me in meo munere spectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum ; ego idem spondeo, voveo, ac juro. sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.

### C A P. III. Professio Fidei à quibus facienda sit ?

**I** Omnes in Cathedrali nostra Ecclesia, vel alia quavis Collegiata, per Civitatem & Diocesium nostram, ad Dignitates, Archidiaconatus, Personatus, Canonatus & Beneficia, tam Curata quam non Curata, & officia publica, admittendi, Fidei Catholicæ professionem præmittant.

*Conc. Trident. Sess. 24. c. 12. de ref. c. 25. c. 2. de refor.*

**2** Idem faciant Monasteriorum & Regularium Ordinum Prælati & Superiores, antequam suis officiis fungantur ; & eorum subditi, cum curæ animarum aliisque functionibus publicis, ut audiendis confessionibus, aut concionibus habendis, destinabuntur.

**3** Item omnes nostri Officiarii, Consilarii, Drostati, Secretarii, Goegravii, Iudices, Quæstores, Advocati, Procuratores, Scribæ quorumcunque judiciorum, Ludimagistri, Edictui seu Custodes, Vogteti, & alii, ad similia officia quæcunque assumendi.

**4** Item Consules, Scabini, ac quicumque de Magistratu ac Curia, & in officiis publicis Civ-

Civitatum, oppidorum ac communitatum sunt. Similiter Medici, Chirurghi, Typographi, Bibliopolæ; qui etiam præter Fidei professionem juramentum præstabunt, de non invehendis, imprimendis & compingendis in Dicecesi nostra ullis libris prohibitis; de quibus nostram voluntatem infra, cap. II. §. 3. penitus intelligit expressam.

*a. Si qui. verb. An. se omnia e. seq. Ep. c. Si quis*

5 Quicumque ex hæresi Ecclesiæ Catholice reconciliari voluerint, cum hæresis abjuratiōe, publicam Fidei professionem facient; nisi ex causis differendum cum aliquo videatur.

*Episc. I. 9. 7. ad volentiam. De Hæresis.*

6 Facienda autem erit Fidei professio solemni modo, publicè in Templo, vel loco Capitulari, aut saltem honestiori aliquo conclavi, posita, super Altari vel Mensâ, imagine Sanctissimi Crucifixi, Missali vel libro Evangeliorum aperto, cereis duobus accensis, testibus aliquot præsentibus. Recipiens professionem Fidei sit indutus superpelliceo & stola, in sede collocatus, legentem professionem diligenter audiat, aut, si is legere non possit, ipsi distinctè prælegat: factam vero Fidei professionem cum anno, die & nomine emittentis ac testium, in particulari libro notet: qui modus in singulis receptionibus servabitur, nisi aliter per Nos vel Vicarium Nostrum in Spiritualibus Generalem ex causis fuerit concessum.

7 Et quidem provisi de dignitatibus, quarum confirmatio ad Nos spectat, ac Beneficiis curatis, coram Nobis aut Vicario Nostrum profitebuntur; de aliis vero dignitatibus, Canonicatibus, Vicariis vel Officiis, sive sint Sacerdotes sive alii, qui Officia vel Vicarias obtinent, in Ecclesia Cathedrali vel Collegiata Civitatis ac Dicecesis nostræ Osnabrugensis, propositam Fidem in manibus Decani & Capituli, Ecclesiæ, cujus est Canonicatus, officium vel Vicaria, præsentem Capitulo, vel ejus potiore parte, profitebuntur, antequam fiat provisio, aut ipsis vel aliis eorum legitimis procuratoribus tradatur possessio; quæ alioquin deneganda erit. Absentes vel alio modo impediti, qui per Procuratorem professionem Fidei, in provisione vel possessionis capione, fecerint, ad Residentiam vel fructuum perceptionem ante ne admittantur, quam ipsi personaliter hanc Fidei professionem emiserint.

8 Cæteri Clerici ac Regulares in manibus suorum Superiorum, Officiati vero nostri coram Nobis aut Vicario Nostrum in Spiritualibus, Laici verò inferioris ordinis coram suis Parochis, aut aliis à Nobis designandis, hanc Fidei professionem facient.

9 Illud vero, facta Fidei professione, omnibus diligentissimè curandum erit, ut Fidem, quam lingua loquitur, etiam moribus vita fatcatur, nec in promittentibus divortium oris & operis damnabiliter inveniatur.

#### C A P. IV. De lectione sacra, & verbi divini prædicatione.

1 **E** Lectum Fidei donum per gratiam Spiritus sancti infusum, mente jam comprehensum, & professione publica contestatum, non solum elicitis frequenter actibus augendum, sed adminiculis etiam piis fulciendum, & sanctis pietatis Christianæ, legisque Ecclesiasticæ exercitationibus, Deo ad gloriam, proximo ad ædificationem, sibi ad salutem meritumque auctius, cuique exornandum est. Ad quod plurimum prodest, lectionibus sacris, quæ de rebus divinis, controversiis Fidei, quæstionibus morum, & casibus conscientiæ, vel in Scholis publicis, vel in Monasteriis, vel aliis Clericorum Collegiis habentur, attente auscultare. atque eapropter vehementer optamus, hortamurque omnes, tam Collegiorum Nostrorum quam Monasteriorum Antistites atque Prælatos, ut Theologiæ Moralis Scholas vel habeant ipsi in Monasteriis & Collegiis suis, vel subditos suos ad lectiones Theologicas proponendas, in Scholis à Nobis, in Vrbe Nostra Osnabrugensi, propitio Deo erigendis, mittant, eos præsertim, quibus curæ pastoralis munus aliquando demandandum est.

2 Fides porro infantibus in sacro Baptismo infunditur, adultis vero per auditum Dei verbum, ut asserit Apostolus, donatur. quocirca sanctum Dei verbum, quanta fieri potest diligentia ac sedulitate, prædicari debet ab iis, qui ad illud promulgandum legitime vocati ac missi sunt; cujusmodi sunt Parochialium Ecclesiarum Pastores, alique animarum Curatores; quos non solum doctrina sacra & rerum Theologicarum cognitione instructos, sed moribus honestos & graves, vita integros, ab infamia liberos esse volumus, qui veluti lucernæ ardentes & lucentes, populum verbo erudire, exemplo ædificare, possint ac debeant. Dabunt itaque operam, ut sint potentes opere & sermone, faciant & doceant, ut vita cum verbis, mores cum doctrina consentiant. Arduum hoc concionandi munus nemo suscipiat aut exerceat, nisi qui, præmissis examine, à Nobis fuerit, aut à Vicario Nostrum, Examinatoribus ad id constitutis approbatus.

3 Ii vero qui ex Regularibus ac Religiosis Ordinibus ad functionem hanc deliguntur, legitime à suis Præsulibus examinari & approbari debent, sive in Ecclesiis sui Ordinis sive aliis concionentur: & ne sic quidem prædicare verbum Dei præsumant, nisi petita atque impetrata à Nobis Episcopali benedictione atque licentia. Qui secus faxint, eos Excommunicationis vinculo ligamus, & excommunicatos publicè declarari jubemus, aliis etiam gravioribus pœnis in eos per Nos vel Vicarium nostrum irrogatis. plurimum enim refert

B 4

scire

*Conc. Trident. sess. 5. c. 5. de ref.*

*Conc. Trident. sess. 5. c. 2. & sess. 24. c. 4. de ref.*

*d. sess. 5. c. 2. de ref. c. excommunicamus 5. quia vere De Hæres.*

scire, quis ille qualisque sit, qui sæculo hoc, infinitis sæctis turbato, oves, Christi Sanguine redemptas, divini verbi pabulo reficiat.

*Conc. Trident. ad. locis.*

4 Pro Concione ad populum dicent singulis per annum Dominicis festisque diebus, atque alijs etiam in Quadragesima, pro Diœcesis hujus more: dicent vero modestè & graviter ac cum autoritate. Et, si quidem Scripturæ testimonia producenda sint, editione vulgata utantur, sacrasque literas non ex suo sensu, sed Ecclesiæ sanctæ (quæ columna & firmamentum veritatis est) sententia, & Patrum sanctorum doctrina, interpretentur. Nemo aniles fabulas, nemo scommata, sales ac jocos, nemo incertas atque apocryphas historias, aut suspecta jure miracula, pro suggestu recenseat.

*Conc. Trident. sess. 4. in Decret. De Edit. & usu sacr. li. 1 Tim. 3. 15.*

*1 Tim. 4. 2 Tim. 2. ad Tit. 3.*

5 Nemo publice Magistratum, seu Ecclesiasticum seu Civilem, carpat perstringatque, aut apertè quempiam ita objurget, ut intento quasi digito eum monstret. parcat personis, dicat de vitiis; multo vero maxime caveat, ne in ullam religiosam familiam aut statum Ecclesiasticum invehatur. à mutuis etiam æmulationibus, contentionibus, & moribus abstineant, ne ab invicem consumantur, & Parochianis suis pariant, ob dissensiones, scandala. Si quis vero habeat adversus aliquem querelam, ad Nos aut Vicarium referat. Qui in legem hanc deliquerit, à concionandi munere submovebitur, poenisque à Nobis infligendis subjacebit.

*Ex indic. li. prohibitorum & Bulla Confr. Pii IV.*

6 Hæreticorum libros nemo Concionator sine expressa, eaque in scriptis obtenta, & Nobis exhibita, Sedis Apostolicæ facultate, legat; argumenta vero eorundem, quæ plus semper ostentationis & vani in vulgus plausus quam soliditatis, eruditionis vel ædificationis habent, operose ne enucleet, sed ad captum populi, ad stabiliendam veram Fidem, ubi opus erit, nervosè refellat.

7 Materiam Auditoribus suis aptam Concionatores sumant; absterreant eos à vitiis omnibus, præsertim à blasphemis, juramentis, convitiis, detractionibus, mendacijs, ebrietate, &c. Cohortentur verò serio atque impensè, ut Magistratui utrique pareant, præcepta Dei, & leges Cæremoniasque Ecclesiæ, necnon Concilii Tridentini decreta, & laudabiles Diœcesis hujus consuetudines, accuratè observent; sacro Missæ Officio, non Dominicis duntaxat festisque diebus (ad quod sub reatu peccati lethalis obstructi sunt) sed alijs etiam solemnitatibus, Concionibus & Catechesibus, usque ad finem constanter & decenter interfint.

8 Potissimum vero elaborent, ut populo religiosam poenitentiae Sacramentalis & Eucharistiæ frequentationem commendent. Sub finem Concionis, pias ad Deum preces, pro omni hominum genere, præsertim vero pro Magistratu, pro salute communi, pro pace &

tranquillitate publica, pro vivis & mortuis, fundant. Dies etiam festos ac solemnes, stata jejunia, supplicationes & processiones, ita promulgent, ut simul indicent, quando, quo modo & sine, solemnitates hujusmodi sint institutæ.

#### C A P. V. De Doctrina Christiana, Catechesi, & Scholis.

1 **A** Proba Puerorum atque Adolescentium informatione, non privata tantum familiarum paucarum, sed publica etiam & communis Reip. totius salus atque Ecclesiæ integritas dependet. quamobrem necessarium plane est, ut omnes à teneris, atque ab adolescentia, portent jugum Domini, in pietate & bonis moribus ac litteris instituantur, ut una cum pietate ac Religione honestas conjuncta ab incunabulis imbatur. Quocirca Parochi omnes tradendæ Christianæ doctrinæ, & explicandi Catechismi studium sibi habeant cordi ac curæ; cogitentque, se tanquam bonos optimi patris familias Ministros, multo diligentior operam, spargendæ, in novali Domini agro, Catholicæ Religionis sementi impendere velle, quam inimicus homo in superfeminandis zizaniis (quæ vellit deinde ægerime queant) collocet.

*Conc. Trident. sess. 24. c. 4. De ref.*

2 Singulis itaque diebus Dominicis, atque etiam, si opus est, Festis, elementa Religionis Catholicæ, juxta methodum Catechismi Romani, perspicuè explanent Pueris, Parochi, Plebani, Vicecurati, vel per se, vel per alios ad functionem hanc idoneos, tempore pomeridiano sub horam duodecimam vel primam; idque in oppidis & pagis observari jubemus: atque, ut rudis pueritia ad piam hanc exercitationem animetur, affluatque copiosius, lingua vernacula, per breves & concisas quæstionculas, suaviter atque humaniter Fidei rudimenta, hoc est, ea quæ ad Fidem, Spem, Charitatem, Sacramenta, & Officia Iustitiæ Christianæ pertinent, continenturque Oratione Dominica, salutatione Angelica, præceptis Dei & Ecclesiæ, virtutum studio, vitiorum fuga, exponant, diligentioribusque munuscula donent, vel aliena liberalitate conquistata; vel aliunde comparata.

*Conc. Trident. d. loco.*

3 Enimvero, si contingat in pagis, vel ob hyemis asperitatem & aeris intemperiem, vel ob nimiam Parochianorum ab Ecclesia distantiam, aliave de causâ, à Nobis aut Vicario nostro approbanda, quot septimanis Pueros convenire non posse ad Catechismi audientiam; habeatur saltem bis singulis mensibus; aut, si ne id quidem fieri possit, Parochus singulis Dominicis, ac præterea per sacros Adventus Domini & Quadragesimæ dies, de Mysterijs & Articulis Christianæ Fidei, in Concione per mediam horam diserat. Invitet porro & alliciat etiam Juvenes ac Seniores ad Catechismum

mum audiendum, cum illi sæpenumero magis quam pueri indigeant instructione. Parentes vero propofitis etiam pœnis admoneant, ut liberos suos ad doctrinam Christianam mittant. Nec ullum ad Euchariftiam percipiendam, in eundemve matrimonium, admittat, nisi doctrinam Christianam obeat, & Catechifmum calleat. Quod verò plurimum pientiffimum hoc opus Magistratus Secularis industria attentioque promoveat; idcirco ei præcipimus, ut eo tempore, quo Catechifmus habetur, omnia tripudia & choreas, lufus & spectacula, comotationes & levitates, filere jubeat.

4 Modus tradendæ hujus disciplinæ jam dudum in Catechifmo Colonienfi, Germanice edito, præscriptus est; quem observari ab omnibus volumus; qui in eo consistit, ut pueri, pia æmulatione excitati, præeuntem in precibus Catechiftam sequantur, deinde ipsi inter sese interrogent ac respondeant, explicationem postea audiant, & repetant. Hoc officium qui prætermiserint, serio à Nobis aut Vicario nostro punientur.

5 Magni etiam momenti est, ut pueri puellæque non in Templis solum religiofe, sed in Scholis etiam recte erudiantur. tenera enim hæc ætas, prona in malum, nisi navis instar secundo flumine defluentis retineatur, in vitia dilabitur; atque ea re ex Ecclesiastici monito erudienda & curvanda est, ut stultitiam, dorfo ejus alligatam, virga disciplinæ fuget. Magna itaque cura adhibenda est, ut in singulis Dicecesis nostræ Civitatibus, oppidis, pagis frequentioribus, sint aut erigantur vel conserventur Scholæ, pro sexus utriusque pueris, Latine vel Germanicæ; deinde ut Scholis illis præficiantur, cum præcitu Nostro, Præceptores Catholici, pii, eruditi, bene morati, ac tales, ut ad eorum vitam ac mores, tanquam ad normam, puerorum vita ac mores exigi componique possint; qui commissos sibi discipulos sedulo ac studiose doceant, non tantum bonas litteras, sed etiam pietatem. Mandamus vero hujusmodi Ludimoderatoribus, ut discipulis suis, sive Latine discant sive Germanice, Catechifmum minorem P. Petri Canifii ediscendum dent, Christianis eos moribus imbuant, doceant verecundiam, modestiam, pietatem erga Deum & Parentes, erga Magistratum reverentiam & observantiam; libros Hæreticos, obscænos, curiosos, ipsi non solum non proponant aut explicant, sed Pueris etiam subducant, ne blandum incautis virus instilletur. Sicubi autem pueri & puellæ Scholam unam frequentent, hæ ab illis sejungendæ erunt, ne quid indecens committatur. Atque ut hæc omnia pro rei hujus gravitate fiant, sincerius præcipimus iis omnibus, ad quos Scholarum cura atque provisio, in loco quovis, de jure vel consuetudine spectant, ut ad hæc attendant, Magistros, Scholas, Pueros fre-

quenter visitent, dentque operam, ut nihil in iis contra Religionem Catholicam, castam pietatem, bonoque mores peccetur.

#### C A P. VI. De Seminariis.

1 **V**T porro tam divini verbi prædicatio, atque institutio puerorum, quam alia Ecclesiastica munia per idoneos & tam gravi functioni aptos homines obeantur & administrantur, utiliter admodum sanxit sacrosancta Tridentina Synodus, ut in præcipuis Episcopatum urbibus constituantur Seminaria, è quibus optimi quique ad curandam animarum salutem deligantur. cui functioni, uti & cæteris ordinationibus, cum lubentes volentes pareamus, incumbemus sedulo in eam curam, ut, difficillimis licet temporibus, in Vrba Nostra Osnabrugensi, Seminarium quam fieri potest citissime erigatur & constituatur, è quo idoneos in vinea Domini laboratores petere, & procurandis sacris muneribus præficere possimus. Quod cum non utile solum, sed necessarium etiam sit, ad Religionem Catholicam stabiliendam proferendamque, ad Paracias curæ Nostræ ac Fidei commissas recte gubernandas, ad subditorum Nostrorum instructionem atque ædificationem; hortamur omnes in Domino, ut conatus hosce Nostris liberalitate sua atque omni ope promoveant; quo suppetant regioni jam albæ ad messem operarii, nec desint qui parvulis petentibus panem frangant, data in tempore tritici spiritualis mensura.

Seff. 23.  
c. 18. de  
refor.

2 Præter media autem erigendi Seminarium à SS. Concilio Tridentino præscripta, congruum judicamus, ut Clerici quicumque, pro qualitate suorum beneficiorum, & ratione temporis quo Ecclesiæ bonis gavisi sunt, ad pium hoc opus, in testamentis suis, ultimisque voluntatibus, Nobiscum debere concurrant, nec ullus testamentum condant, in quo Seminarii Nostris liberaliter non meminerit.

#### C A P. VII. De Cultu Divino, Officiis, & Caremoniis Ecclesiasticis.

1 **R**eligio, cujus prima quasi radix est Fides, non solum insita debet esse animo, sed in externos etiam pietatis actus prodire. qui actus varii admodum sunt, Eliciti, Imperati, Interni, Externi, Publici, Privati. Nos de pluribus, ad disciplinam Ecclesiasticam pertinentibus, quo pacto exercendi sint, à Clericis potissimum divino cultui initiatis, nonnullos præscribemus.

2 Officia itaque divina omnia, eo quo debent tempore, modo & methodo, pie ac graviter peragantur. Et, cum Breviaria, Missaliaque propria Dicecesis Nostræ, olim edita, vix amplius, vel non nisi cum defectu aliquo, & minus

minus

Prov. 22.  
vers. 15.

minus authentica superſint, & exinde multi, tempore Noſtri Prædeceſſoris, Romanum Breviarium & Miſſale aſſumpſerint, ex quo magna confuſio & diſcrepancia confeſcuta eſt; ideo uniformitatem in Eccleſiam Noſtram inducere volentes, mandamus, ut omnes Clerici, Canonici, Paſtores & Eccleſiæ Miniſtri, ſibi de Romanis proſpiciant intra Paſcha & Nativitatem Chriſti, ritumque Romanum per omnia ſervent. quoad Eccleſiam verò Noſtram Cathedralē, cum Capitulo Noſtro, de modo & tempore Romanum illa in Eccleſia introducendi, mature deliberabimus. Procurabimus etiam, ut libri, ad hunc Romanum uſum neceſſarii, in Civitate Noſtra Oſnabrugeniſi commode haberi poſſint.

3 Nemo novos ſibi ritus fingat, introducat, aut uſurpet; ſed in Eccleſia omnia moderata, conformia, & conſona ſint. Curſorius ille ac concitatus legendi cantandique abuſus omnino exulet; omnia maturitatem, gravitatem, pietatem, religionem, ac reverentiam erga Deum redoleant.

4 Et quia domum Dei decet ſanctitudo, nemo in Eccleſia in conſpectu Domini garrat, nugetur, obambulet, circumſpēctet curioſe, aut aliud quippiam, loci ſanctitate indignum, tractet; quod cum Laicis etiam vetitum ſit, multo maxime Clericis interdictum eſt; qui ubi aqua benediſta ſe ad ingreſſum aſperſerint, ac ſacram Euchariftiam cernui ſalutarint, conferre ſe ad locum ſuum modeſte debent; cæteroqui ad Nos à Prælatiſ Eccleſiarum deferantur, & quotidianis diſtributionibus priventur.

5 Aquæluſtralis, nec non cinerum, herbarum, palmarum, aliorumque fructuum, definitis temporibus, ac certis diebus, in Eccleſia benedici ſolitorum, uſum legitimum ac rectum probent ipſi, & aliis commendent: & quoniam cæremonias huiusmodi, ſanniones hæretici, vel ex ignorantia contemnunt, vel ex malitia derident, ipſi tueantur, myſteriaque quæ in hiſ latent, vim adverſus antiqui hoſtis inſidias, & ſciant ipſi, & aliis, ubi opus fuerit, ad confutandos hæreticorum errores, ex probatis autoribus explicent.

6 Eadem prorfus ratione, non ſolum adverſus A catholicos defendere, ſed ipſimet etiam viſitare debent Proceſſiones, ſeu publicas totius Eccleſiæ, ſeu peculiareſ ſuæ Diœceſiſ, ſeu ſtatas, ſeu ex occasione indiſtas, quoties eæ inſtituentur. Noverint vero omnes, in huiusmodi Proceſſionibus, quæ prælata cruce aut vexillo, bono ordine, viris in unum, foeminis in alium cætum diſtributis, debent fieri, abſtinentium prorfus eſſe à fabulis, riſibus, nugis, levitatibus, diſcurſibus, curioſitatibus, computationibus, præbendumque Laicis eſſe modeſtiæ & pietatis exemplum. ſi qui vero Sympoſiorum aut nundinationum quarumcunque abuſus irreplerint, eos abrogent Parochi, aliive ad quos munus hoc pertinet.

C A P. VIII. De Templorum ornatu,  
& cultu ſacrarum Imaginum &  
Reliquiarum.

Præter externum illum decorem domus Dei & ornatum, quo templa debent eſſe conſpicua, religioſe etiam aſſervantur Sanctorum Reliquiæ & Liſana, nec non Chriſti Domini ac Sanctorum Imagines, quæ uti à Iovinianiſtiſ & Iconoclaſtiſ vehementer impugnatae ſunt, ita à Catholicis omnibus acriter ac glorioſe propugnatae. Etenim, cum ſacra illa membra atque oſſa, viva quondam fuerint Spiritus ſancti domicilia atque templa, ad quorum vel attackum vel intuitum vel cultum maxima Deus edidit prodigia, quod utriuſque teſtamenti exemplis perſpicui eſt; plane convenit, ut à fidelibus Chriſti populis honeſte condantur, pretioſiſque loculis pie conſerventur, ad illorum honorem, & gloriam Dei, cuius Sancti nimis honorificati ſunt. Si itaque, vel ad populi devotionem excitandam, vel ad Deum per interceſſionem Sanctorum ſuorum, & exhibitionem ſacrorum pignorum, placandum, Reliquiæ huiusmodi, aut præter conſuetudinem, aut pro more, oſtendendæ ſint, jubemus, ut non à Laicis, ſed à Clericis, ſolemni cum apparatu, accenſo lumine, reverenterque, ac ſine quæſtu omni, fiat. Oſtendantur vero Reliquiæ ſincerae, non falſæ pro veris, non incertae & dubiæ pro certis ac probatis, non incognitæ pro cognitis, ſine ſuperſtitione omni, impoſtura, & abuſu: quocirca opus erit, ſingulis ſchedam aliquam, è qua dignoſcantur, apponere. ſicubi vero nova vel ederentur vel edi putarentur miracula, ad quæ magnus fieret populi concurſus, id Prælati vel Parochi Nobis illico ſignificent, ut mature dijudicetur quid ſentiendum, ne credulum vulgus vel capiatur ſuperſtitione, vel commentitiis miraculis ſalcinetur.

2 Statuimus inſuper, ne ſacra Reliquiæ, ſine expreſſa Noſtra licentia in ſcriptis obtenta, extrahantur, donentur, aut extra Diœceſin Noſtram exportentur, ſub poena Excommunicationis latae ſententiæ.

3 Chriſti Salvatoris, Deiparæ Virginis & Sanctorum ſtatuae atque imagines, non in Templis ſolum, ſed in privatis etiam Oratoriis, Sacellis, aris & agris, retinendæ, decore veſtendæ ornandæque, & vero etiam honorandæ ſunt, eo quod effigies ſint ſuorum prototyporum, quibus etiam honor recte deferitur. Sunt etiam huiusmodi ſtatuae atque imagines, atque aliæ hiſtoriæ ſacrae vel pictæ vel ſculptæ, indoctæ plebis veluti libri, in quibus Redemptionis noſtræ myſteria legunt ac recolunt, quarum è conſpectu pietatem hauriunt atque confirmant, ad imitationem denique excitantur. Vnde convenit, decenti eas cultu ornare, ut Deus laudetur in Sanctis ſuis; quos licet ſeculari probris atque convitiis inceſſant; Catholica

Conc. Tri-  
dent. Seſſ.  
25. De  
invoc. ve-  
nerat. &  
reliq. 55.

d. decreto  
ſeſſ. 25.

Conc. Nic.  
2. & Tri-  
dent. d. lo-  
co c. perla-  
tum. De  
conſecra-  
tiſ. 3.

d. c. per-  
latum.

tholica tamen Ecclesia semper venerata est, non latria sed longe dispari dulci cultu, non ignara, honorem, seruo habitum, in Dominum redundare, fasque esse homini, honorare illum quem Deus ipse honorat.

4 Ne qua tamen novis Iconomachis calumniandi ansa præbeatur, cavendum omnino est, ne in Ecclesiis sculpantur pinganturve statuae vel imagines Sanctorum, qui ab Ecclesia & probatis historiis non habent auctoritatem. Cavendum præterea, ne falsa veris in huiusmodi imaginibus misceantur, aut profanum quid ac fabulosum inferatur. Multo maxime attendendum est, ne turpes, incompositæ, ex gentiliū scriptorum libris petitæ, aliæve profanæ imagines, sculpturæ, picturæ, in domo Dei videantur.

5 Volumus etiam, ut imagines ac statuae deformes, fractæ, vetustate consumptæ vel corrosæ, aliisque de causis indecentes, e Templis removeantur.

6 Mandamus præterea Pastoribus & aliis quibuscunque Ecclesiarum Rectoribus, ut nullæ posthac imagines, (statuæ, epitaphia, Altaria in Ecclesiis & locis Ecclesiasticis ponantur, nec quicquam aliud figatur, constituatur, mutetur, nisi Nostra aut Nostræ in Spiritualibus Vicarii approbatio præcesserit: nec Pastores, multo vero minus æditui aut Provisores, cuiquam in Choro sedem vel stationem certam concedant. Quæ vero hæctenus à quibusdam in Ecclesiis politæ fuerunt sedes ampliores, quæ prospectum ad summum Altare impediunt, aut aliis obstaculo sunt, maxime vero quæ prope Altaria collocatæ sunt, directione Vicarii Nostræ & cura Pastorum ad debitam moderationem redigantur.

#### CAP. IX. De Indulgentiis & Purgatorio.

1 Quæ admodum fortiori nunquam ariete petita quassataque est Ecclesia, quam eo, quem primo quæstusosi Indulgentiarum præcones adornarunt, postea vero iniqui lucri & gloriæ competitores, & votivæ à Religione apostatæ, Quinti Evangelii verbicines, ei admoverunt, ita contentione omni, & armatura Fidei, obstitendum est.

2 Condonationes illæ, quæ ab ipso exordio nascentis Ecclesiæ, exemplo sancti Pauli cætorumque Ecclesiæ præsidum, dispensatæ sunt, caute ac circumspicte ex potestate clavium, dataque solvendi ac ligandi facultate & potestate, defendantur.

3 Ad tollendos etiam errores, pro suggestu demonstrandum est, Indulgentias omnes, in meritis Passionis ac Sanguinis Christi fundari, qui, ex copioso & inexhausto satisfactionis suæ thesauro, Ecclesiæ suæ, ejusque præsidibus, reliquerit instructissimum Eleemosynarum spiritualium sacræ ærarium, è quo parce ac prudenter, pro inopum indigentia, & dispensato-

ris auctoritate, debiti alieni nomina, & insolutæ peccatorum pœnæ, solvi possint, (solvere enim dispensatores mysteriorum Dei possunt ex mandato divino quicquid ligatum est, sive culpa illud sit, sive pœna) accedente præsertim Sanctorum Dei amicorum quasi collateralitate (deprompta tamen ex meritis Christi) liberalitate.

4 Præcipimus etiam, ne ullæ Indulgentiæ publicæ per Dioccesin Nostram ab ullo seu Regulari seu non Regulari, sine Nostræ scientia & approbatione proclamantur, ne qua incautis Catholicis ad superstitionem, vel Hæreticis ad iniquam calumniam, occasio detur; cum illi interdum è taxo suævolentiam, hi ex flore virus hauriant. Si vero Iubilæum publicum, aut aliæ communes vel privatæ Ecclesiarum. Ordinumque Indulgentiæ denuncientur, earum se compotes faciant Christi fideles.

5 Indulgentiarum sacrarum usum frequentem, si non induxit, consuluit tamen purgatorius seu piacularis ignis, in quo inexpiatæ à pœnis temporalibus animæ detinentur, donec, Apostolo docente, detrimentum passæ, salvæ fiant per ignem. Prævit, in hoc misericordiæ opere, exemplo Laicis omnibus Iudas Machabæus, qui, ex communi veræ Ecclesiæ consensu, sanctam & salubrem esse censuit cogitationem pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur. Ea propter præcipimus, ut annuæ, vel aliis definitæ temporibus ac diebus, defunctorum piorum memoriæ, oblatione sacrificiorum, Eleemosynarum ab ipsis constitutarum elargitione, aliisque piis operibus, ex Ecclesiæ cujusque consuetudine receptis, & à Nobis probatis, pie integreque peragantur. Pro Hæreticis vero, & infantibus in prima innocentia defunctis, suffragia huiusmodi ne fiant, cum nec hi indigeant, nec illis profint.

6 Quia vero ii, qui in pœnis Purgatorii detinentur, unius Nobiscum corporis membra, Fratres & amici Nostræ, ope Nostræ & suffragiis maxime indigent; idcirco mandamus, ut diebus singulis sub vesperum, quando ad salutationem Angelicam signum datum, ad Ecclesiæ nostræ Metropolitanæ exemplum, aliâ campanâ in singulis Ecclesiis detur signum; quo audito, omnes ex Christiana misericordia pro Defunctis, piè ac diligenter Deum, divitem in misericordia, orent.

#### CAP. X. De dierum Fæstorum, Esurialium, & Ferialium observatione.

1 Exoleverunt jam in Christianismo Fasti & Nefasti gentilium dies; vanæ & profanæ annorum, mensium & dierum observationes ex Genethliacorum disciplina, Apostolica sententiâ damnatæ sunt; Fæstos vero dies, vel Dei ipsiusmet iussu, vel auctoritate Ecclesiæ aut legitimi Magistratus, institutos,

1 Cor. 3.  
vers. 14.  
15.  
2 Mach.  
12. v. 43.

Galat. 4.  
vers. 16.

Matth.  
16. v. 19.  
& c. 18.  
vers. 18.  
Joan. 20.  
vers. 21,  
& 22.



Ioan. 10.  
vers. 13.

tos, religioſe celebrandos eſſe, exemplo nos ſuo optimus Magiſter noſter, Encœnia viſitans, docuit. In nova etiam lege, dies Chriſto Salvatori, ejuſque Matri, & Angelis, nec non aliis Sanctis dicati, ſolemni ritu obſervandi ſunt. Obeant itaque omnes & fervent feſtos dies, quos vel univerſus Chriſtianus orbis, vel Diœceſis Noſtra, ex antiqua conſuetudine vel pia Prædeceſſorum Noſtrorum conſtitutione, ad celebrandas Dei & Sanctorum laudes, ſacros habet. De quibus ut conſtet omnibus, eorum numerum, per Menſes diſtributum, hic ſubungere placuit.

### FESTA MOBILIA.

Dominica Paſchæ cum duabus ſequentibus.  
Aſcenſio Chriſti.  
Dominica Pentec. cum duabus ſequentibus.  
Corporis Chriſti.

### FESTA IMMOBILIA.

#### IN IANVARIO.

Die j. Circumciſio Domini.  
vj. Epiphania Domini.  
xxv. Converſio S. Pauli.

#### IN FEBRUARIO.

Die ij. Purificatio Beatiffimæ Virginis.  
xxiiij. vel, Anno Biſextili,  
xxv. S. Mathiæ.

#### IN MARTIO.

Die xxv. Annunciatio Beatiffimæ Virginis.

#### IN MAIO.

Die j. Philippi & Iacobi Apoſtolorum.

#### IN IUNIO.

Die xxiiij. S. Ioannis Baptiſtæ.  
xix. SS. Petri & Pauli Princip. Apoſt.

#### IN IULIO.

Die ij. Viſitatio Beatiffimæ V. Mariæ.  
xxij. S. Mariæ Magdalenæ.  
xxv. S. Iacobi Apoſtoli.

#### IN AVGVSTO.

Die x. S. Laurentii Martyris.  
xv. Aſſumptio Beatiffimæ Virginis.  
xxiiij. S. Bartholomæi Apoſtoli.

#### IN SEPTEMBRI.

Die viij. Nativitas Beatiffimæ Virginis.  
xxj. S. Matthæi Apoſtoli.  
xxix. S. Michaëlis Archang.

#### IN OCTOBRI.

Prima Dominica poſt Feſtum S. Michaëlis, celebratur Feſtum Sancti Angeli Cuſtodis.

Die xxviiij. SS. Simonis & Iudæ Apoſtol.

#### IN NOVEMBRI.

Die j. Omnium Sanctorum.  
ij. Animarum, ante meridiem.  
xj. S. Martini Epifcopi & Conf.  
xxj. Præſentatio Beatiffimæ Virginis.  
xxv. S. Catharinæ V. & M.  
xxx. S. Andræ Apoſtoli.

#### IN DECEMBRI.

Die viij. Conceptio Beatiffimæ Virginis.  
xxj. S. Thomæ Apoſtoli.  
xxv. Nativitatis Chriſti.  
xxvj. S. Stephani Protomart.  
xxvij. S. Ioannis Apoſtoli.

2 Feſtis hiſce diebus omnes officinas ſuas ac tabernas claudant, nemo negotietur aut nundinetur, nemo quicquam emat aut vendat, niſi quod ad diei illius victum aut agrorum curationem eſt neceſſarium. Abſtineant etiam omnes ab operibus ſervilibus, & vel maxime à compotationibus, crapula, blaſphemiis, choreis, ſpectaculis, omnique levitate & indecentia; cogitent potius, quomodo mentem, negotiis ſecularibus tota hebdomade diſtractam, colligere, Denm offenſum propitiare, & ſalutem animæ (qui ſolemnitatum huiusmodi finis eſt) per pœnitentiam ſalutarem & Synaxin ſacram procurare poſſint. Quapropter integrum Miſſæ Officium concionemque attente ac religioſe audiant; præcipua vero pietate obeant Feſta Chriſti Salvatoris, Deiparæ Virginis, SS. Apoſtolorum, Sanctorum Angelorum, Patronorum patriæ, &c.

3 Si qua evidens exercendi alicuius operis ac laboris neceſſitas incideret, meliſ potiffimum tempore; facultas ad id à Nobis, vel Vicario Noſtro, aut, ſi grave in mora eſſet periculum, à Parocho peti debet.

4 Impenſe commendamus omnibus ſubditis Noſtris inſtitutos ab Eccleſia, & religioſe à majoribus Noſtris obſervatos, jejuniorum & abſtinentiæ dies. noverint, frenum tunc maxime gulæ & ingluvici injiciendum eſſe, non ſolum idcirco, ne fratres ſuos, pro quibus mortuus eſt Chriſtus, eſcæ vetitæ eſu ſcandalizent, ſed ut carni libidinis fomenta ſubtrahant. Quadrageſima igitur tota, Quatuor anni temporibus, aliſque per annum præſcriptis Vigiliis, unica ſolum reſeſtione contentivi vant omnes, quos aut ætas aut morbus aut alia legitima cauſa non excuſat. Sexta vero qualibet feria, & Sabbato, quemadmodum etiam tribus Rogationum diebus, & S. Marci Feſto, à carnibus omnes abſtinento: quoque contentius elaborant illi quorum Deus venter eſt, ut pronum cæteroque ad creophagiam vulgus, quocunque prætextu quæſito, à Matris Eccleſiæ obedientia abducant, eò ſtudioſius jejuniorum obſervationem Parocho commendent; & ne quis ignorationem cauſetur, pro Concione dies eluſoriales, ſequenti hebdomade ſervandos, palam denuncient.

I Cor. 8.  
v. 11, 13.

Philip. 3.  
vers. 19.

#### C A P. XI. De Libris prohibitis.

1 Q Voniam vero nullum peſtilentius venenum animabus, quam ex Hæreticorum libris propinatur; diſtrictè omnibus ſubditis Noſtris, tam Eccleſiaſticis quam Laicis, prohibemus, ne Hæreticorum libros, qui

*Index  
Libr. pro-  
hibitor.  
à Pio Pa-  
pa IV.*

qui in indicibus, post Concilium Tridentinum editis, designati, aut postea editi, aut alias pro talibus noti sunt, legant, vel apud se retineant, nisi à Sede Apostolica dispensationem, desuper in scriptis obtentam, Nobis aut Vicario Nostro exhibuerint; sicuti supra cap. 4. decretum est.

2 Pariter cum vetitis hæreticorum libris, damnamus omnes falsos, perniciosos, improbatae lectionis libros, scripturas, rhythmos, cantiones, chartas, picturas, sculpturas, & imagines quascunque, quæ obscena, inhonesta, famosa, superstitiosa, aut his similia continent, quæ nec vendi nec emi, nec uspiam in aut per Diocesin Nostram importari aut retineri possint. Quam curam diligenter Parochis singulis in suis Parochiis commendamus; qui retractarios & incorrigibiles ad Nos ac nostrum Vicarium referre non negligant.

3 Præterea prohibemus Typographis, ne ullum librum cujuscunque generis, sive Ecclesiasticum sive profanum, absque Nostra aut Vicarii Nostri generalis, aut ad hoc specialiter à Nobis deputati Censoris singulari licentia, imprimant; Bibliopolis similiter & Bibliopægis, ne improbatae lectionis libros in Diocesin Nostram importent, compingant, vendant aut apud se retineant. In quem finem committimus deputando Librorum Censori, & illis quos ipsi adjungemus, ut officinas Bibliopolarum, quoties illis necessarium videbitur, visitent, librosque inspiciant & examinent.

C A P. XII. De Sacramentis in genere.

1 Septem esse novæ legis Sacramenta à Christo Domino instituta & ab Apostolis virisque Apostolicis veluti per manus ad nos transmissa, per quæ omnis vera Iustitia vel incipit, vel coepta augetur, vel amissa reparatur, nullus Catholicorum ambigit. Quorum quanto major est dignitas atque præstantia, tanto sanctius ac religiosius sunt ministranda ac suscipienda.

2 Quamvis vero ipsa per indignam administrationem non contaminentur, neque à probitate conferentis eorum virtus atque efficacia dependeat, sed à solo Deo, salutis, gratiæ & sanctitatis autore; multum tamen honoris atque reverentiæ apud Christi fideles illis deedit, si in Ministris eorum nota aliqua & macula vitæ fordioris appareat. Moneamus itaque in Domino & serio requirimus Pastores omnes & cæteros Ministros Sacramentorum, ut ea reverenter, pura mente, ac casta manu, tractent ac petentibus dispensent; ne, dum aliis ad salutem ministerium exhibent, sibi damnationem acquirant; & vocati ad Sacramenta ministranda faciles paratosque se exhibeant, ne eorum tarditate aut negligentia

quempiam sine Baptismo, Pœnitentia, sacro Viatico, aut Extrema unctione, emori contingat; quam negligentiam, pro culpæ qualitate, Nos suspensionis ab officio, aut alia pœna arbitraria, prosequemur.

3 Volumus etiam, ut divinatorum horum mysteriorum natura, usus & salutare effectus tam in Concionibus & Catechismi explicatione, quam ipsorum administratione, quoties id necessarium & opportunum videbitur, ad captum tam suscipientium quam adstantium, exponantur. quod ut commodius fieri possit, Catechismum Romanum, ex Concilii Tridentini decreto editum, Parochis & aliis ministris maxime familiarem esse convenit.

4 Sacramenta omnia lingua Latina, sobrie ante prandium in Parochiali Ecclesia (nisi necessitas aliud exegerit, aut ex causa, Nobis aut Vicario Nostro probanda, dispensatum fuerit) administrantur. In quo etiam repetimus & confirmamus quod à Prædecessore Nostro, de Sacramentis in ædibus privatis sine gravi & urgenti necessitate & expressa licentia non ministrandis, est ordinatum.

5 Quæ vero ad habitum decentem ministrantium, item salarium & honorarium spectant, repetimus ea, quæ in Synodo præcedenti Osnabrugensi à Nostro Prædecessore b. mem. salubriter sunt statuta.

6 Similiter ex eadem Synodo huc revocamus, quæ de ornatu & munditie templorum & sacratorum locorum ibid. à Nostro Prædecessore recte sunt præscripta: quibus adjicimus, ut sanctissimum Domini nostri Iesu Christi Corpus, Aqua Baptismi, sanctum Chrisma & Oleum sacrum, sub diligenti clausura honeste ac reverenter suis locis & in vasculis mundis asserventur & habeantur: Claves verò non penes ædituos, sed Curatos vel eorum Socios, custodiantur; ne forte injuria vel prophanatio aliqua sacris mysteriis irrogari possit.

7 Ut vero ab usu universalis Ecclesiæ Romanæ in Sacramentorum administratione ac Cæremoniis quam minimum recedatur, & uniformitas per omnia conservetur; librum Pastoralem Romanum, typis datum cum utilissimis instructionibus ex Romano Catechismo, Pastoribus Nostriis communicabimus; volumusque, ut Pastores, & quicumque animarum Curatores, illo utantur, & ut preces omnes sacramentales, maxime vero ipsæ Sacramentorum forme, pronuncientur distincte, attente, ac reverenter; magnæque diligentia curetur, ut materia legitima adhibeatur, nec quicquam ex consuetis benedictionibus, unctionibus, precibus, cæterisque cæremoniis prætermittatur.

8 Singulis annis sacrum Chrisma & Oleum sacrum petant Pastores, aut ab ipsis ablegati æditui, aut aliis viri honesti, in vasculis mundis, argenteis vel stanneis (non cupreis) ab Ecclesia

*Concil.  
Trid. sess.  
24. c. 7. de  
reforma*

*c. 22.*

*c. 20. c.  
23.*

*c. 4. c.  
23.*

*c. 1. de  
Cust.  
Euch.*

*c. l. litem  
ris. De  
consecr.  
dist. 3.*

*Concil.  
Trid. sess.  
7. in  
prim. c. ad  
abolendam.  
Do Heret.  
D. Aug.  
contra  
Crescon.  
Gram-  
mas. lib.  
3. c. 6. Et  
refertur.  
De consecr.  
dist. 4. c. a. Si  
inter. c. per  
tor. dist. c. Si  
iustus. c. multis  
seq. qui  
sunt S.  
Aug. contra  
Donat.  
dist. 1. q. 1.*

*cap. 3.  
1. 13.*

*cap. 3.  
1. 19.*

clesia Nostra Cathedrali, & quicquid ex veteribus Oleis superest, comburatur, & cineres conjiciantur in piscinam sacram.

CAP. XIII. De Baptismo.

<sup>1</sup> *conveni-  
ens. de  
Presb. non  
baptiz. ca-  
cum ita-  
que in fin.  
de consecr.  
dist. 4.*

I CVM Baptismus janua sit salutis, & ac-  
primus maximeque necessarium  
Sacramentum, ac sanctæ regenerationis lava-  
crum, quo ex filiis iræ & dissidentiae in gra-  
tiam regeneramur, & in filios Dei adopta-  
mur: Volumus, ut tam Pastores aut eorum So-  
cii, cooperatores seu Vicarii, hoc Sacramen-  
tum administraturi, quam patrini ac matrinæ,  
baptizandum ad Templum comitantes, non  
leviter & perfunctorie id agant, sed cum reli-  
giosa pietate ac gravitate ad tanti muneris  
functionem accedant, Deoque gratias agant,  
qui filium iræ, & hæredem gehennæ, benigne  
ad Sacramentum regenerationis admittit, ut  
fiat filius Dei & hæres vitæ æternæ.

2 Ad majorem autem venerationem pieta-  
temque excitandam, curandum est, ut Bap-  
tismus semper ante prandium fiat, & Suscep-  
tores cum amicis, pro veteris Ecclesiæ ritu, in-  
fantem Deo præsentent & offerant; à prandio  
vero illud non facile admittatur, nisi necessitas  
aut periculum infanti imminens, aut habitatio  
remotior, aut alia iusta causa, illud re-  
quirat.

3 Quoniam vero parvulorum & recens  
natorum infirma & inconstans est valetudo,  
adeo ut collatio Baptismi sine vitæ periculo  
differri non possit, valdeque sit absolum ut  
propter respectum aliquem externum diutius  
filius iræ permaneat, qui in adoptionem filio-  
rum Dei admitti potest: Hinc præcipimus, ne  
sub aliqua specie, vel causa, & decumque qua-  
sita, Baptismus infantium, etiam quorumcun-  
que Nobilium aut insignium personarum, ul-  
tra octavum diem differatur.

4 Quod Superiore cap. de Sacramentis in  
privatis ædibus sine necessitate aut dispensa-  
tione non administrandis ex Synodo præce-  
denti repetimus, hoc etiam de infantibus pu-  
blice in Ecclesia baptizandis intelligi volu-  
mus, articulo necessitatis excepto, si ob mor-  
bum mortisque periculum infans ad Ecclesiam  
deferri non possit; quo casu Parochus prope-  
re acciri debet, aut, si ejus copia non sit, alius Cle-  
ricus, aut, illo quoque deficiente, quilibet a-  
lius Christianus homo, habita quantum fieri  
potest sexus & status distinctione ac prælatio-  
ne, Baptismus administrare potest, modo de-  
bita materia, quæ est aqua naturalis simplex  
vel sanctificata, & forma quæ est: Ego te ba-  
ptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus  
sancti, adhibeantur: quod si ex periculo infans  
baptizatus supervixerit, ad Ecclesiam nihilo-  
minus deferatur, & Baptismo excepto, reli-  
quæ Cæremoniæ, propter necessitatem omis-  
sæ, suppleantur.

<sup>2</sup> *Clem. 1.  
de Baptif.  
& eius  
effectu.*

<sup>3</sup> *in ne-  
cessitate. c.  
mulier. c.  
sanctam.  
de consecr.  
dist. 4.*

5 Accurate vero Parochi examinent ob-  
stetrices vel alios, qui in articulo necessitatis  
baptizasse dicuntur, An, quomodo, quibus  
verbis, qua forma, qua materia & aqua, &  
cum qua intentione, baptizarint. Quod si de-  
bitam materiam, formam & Ecclesiæ inten-  
tionem adfuisse cognoverint, Baptismus (ni-  
si forte ex circumstantiis legitima dubitan-  
di ratio subsit) non repetant, sed Cæremoni-  
as consuetas tantum adhibeant. Si nihil hor-  
um adfuerit, aut unum ex illis defuerit, de no-  
vo baptizent: si probabiliter dubitent, num  
essentiale quippiam omisum sit, Baptismus  
cum conditione conferant; videlicet, Si tu es  
baptizatus, ego te non rebaptizo; si vero non-  
dum es baptizatus, ego te baptizo in nomine  
Patris, & Filii, & Spiritus sancti.

6 Idem faciendum est in expositiciis infantibus,  
ubi nullum certum & infallibile Baptismi  
sui præ se ferunt testimonium.

7 In periculoso verò, imperfecto, & diffi-  
cili partu, secundum regulas prudentiæ ob-  
servandum est, quod Ecclesiæ usus habet &  
Dd. tradunt.

8 Nullus, nisi prævia licentia Pastoris, pro-  
lem suam extra Parochiam suam baptizari cu-  
ret; & ubi baptizata fuerit, de collato Baptif-  
mo Pastori testimonium ferat; quod etiam in  
libro Baptismali notetur. Pastores tamen ra-  
ro & non nisi ex gravi causa licentiam talem  
concedant.

9 Baptizatis nulla alia nomina imponi de-  
bent quam Sanctorum; quorum denominatio  
ac memoria adultis, ad virtutis imitationisque  
studium, desiderium accendere possit.

10 Diligenter quoque observare monen-  
tur Parochi illud, quod in Concilio Tridentino,  
ad evitandam difficultatem & pericula  
impedimenti cognationis spiritualis, de nume-  
ro patrinorum constitutum est; ne videlicet  
plures quam unus vel una, vel ad summum u-  
nus & una, ad suscipiendum, sub quovis etiam  
prætextu, admittantur, nisi Nostram indigna-  
tionem & condignam penam sustinere ve-  
lint. Si qui vero alii forte Nobiles pro majori  
solemnitate & familiæ suæ splendore, ad tan-  
gendum infantem, patrinorum instar sese inge-  
rant; volumus, ut Parochi ex ipsis duos desi-  
gnent, qui veri susceptores sint, infantem soli  
contingant, & cognationem spirituales con-  
trahant, atque in librum baptizandorum à Pa-  
rochis inscribantur, reliqui non item; quos ta-  
men loco testium Baptismi solemnitatibus in-  
teresse non vetamus.

11 Patrini ac Matrinæ sint homines pii ac  
Catholici maturæ ætatis, in Fide atque pro-  
batis moribus bene instituti, ut filios suos spi-  
rituales in iisdem instruere possint; id enim  
ipsorum, quam pro infantibus Deo & Eccle-  
siæ faciunt, sponso requirit; cujus diligenter  
à Parochis sunt monendi, ac magis eligan-  
tur

<sup>4</sup> *Seff. 24.  
de ref.  
mar. c. 2.  
c. quam-  
vis. de co-  
gnat. spir.  
in 6. c. non  
plures. de  
consecr.  
dist. 4.*

<sup>5</sup> *Vos au-  
tem. de  
consecr.  
dist. 4.*

tur ii, qui saluti animæ consulere, quam muneribus augere queant.

12 Arcentur autem merito ab ista sponse, qui nondum ad annos discretionis pervenerunt, nec Fidei rudimenta tenent, utpote Symbolum Apostolicum & Orationem Dominicam; item, qui, iusto impedimento cessante, eo anno peccata Sacerdoti suo confessi non sunt, neque in Festo Paschæ sacram Eucharistiam susceperunt, quique hæresi infecti aut excommunicati sunt. Neque enim convenit, illos tanquam comministros & testes assistere Sacramentis, qui vel de illis male sentiunt, vel quos Ecclesia à divinis arcet, vel qui se ipsos à communione & unitate Catholica segregarunt.

13 Regulares quæcunque personæ utriusque sexus, de Baptismo aliquem suscipere, aut pro aliis spondere, sacris Canonibus prohibentur. Pastores denique diligenter notent, à se vel aliis in sua Parochia baptisatos; ut in libro Pastoralis expressius continetur.

14 Alienum autem existimamus, magnam hujus mundi pompam circa Baptismum adhibere, ne, ubi unusquisque in Baptismo pollicetur, Satanæ renunciare ejusque pompas desistere, in ipso vitæ Christianæ limine iis rebus dari opera videatur, quibus potissimum solemnibus sponse renunciatur.

15 Antiquam & religiosam illam consuetudinem, qua puerperæ post absolutum puerperii tempus in proximo statim egressæ ad Ecclesiam procedunt, ut Deo pro puerperii beneficio gratias agant, ac precibus & benedictione sacerdotali expientur, tanquam piam ac laudabilem conservatam ac revocatam volumus. Nulla verò puerpera ante xxv à partu diem ad benedictionem admittatur; eaque non nisi à proprio Parocho aut ejus Vicario perficiatur.

C A P. XIV. De Sacramento Confirmationis.

1 S acramento Baptismi succedit aliud, quod contra hæreticorum infestationes in divina Scriptura fundamentum ac testimonium habet, secundum Ecclesiæ & SS. Patrum receptam ab omni antiquitate sententiam; & à Patribus antiquis Confirmatio, Unctio, Chrisma, vel Chrimatis Sacramentum appellatur, à quo & nos Christiani denominamur. Quid enim aliud est Christus vel Christianus quam Chrimate unctus? Quod Sacramentum etsi non omnibus ad salutem absolute sit necessarium, tamen, cum in eo plenitudo Spiritus sancti conferatur, roburque detur adversus Carnis, Mundi, & Diaboli insidias, utque gratia roborati Fidem Christianam aperta fronte, constantique animo, coram toto mundo sine hæsitatione profiteri non eru-

becamus. Non leviter peccant, qui hanc sibi sollicitudinem non assumunt, ut vel ipsi, vel quorum curam gerunt, hoc salutari præsidio muniantur, fortesque in Fide constituantur; multo vero gravius, qui illud per contemptum negligunt. Ut propterea Nos, omnes & singulos subditos nostros serio commonitos esse velimus, ut hanc Spiritus sancti gratiam oblatam magno in pretio habeant, ejusque se participes faciant.

2 Pastores verò & Concionatores in Domino requirimus, ut eò majori diligentia, sollicitudine ac zelo, in fructibus hujus Sacramenti explicandis versentur, quò vident amplius illud ab antiquis & nostri temporis hæreticis derisui & ludibrio habitum, ac præcedenti tempestate in his regionibus neglectum fuisse. De hoc præclare S. Melchiades Papa: *In Fonte Deus plenitudinem tribuit ad innocentiam, in Confirmatione augmentum præstat ad gratiam; in Baptismo regeneramur ad vitam, post Baptismum confirmamur ad pugnam; in Baptismo abluimur, post Baptismum regeneramur.*

3 Ne vero tam salutari remedio subditi nostri destituantur, eam in Nos curam assumimus, ut per Suffraganeum Nostrum constituendum designatis ab Ecclesia temporibus aliisque, quibus ipse Dicecesin nostram obitus est, hoc Sacramentum conferatur, nec desint tunc Parochi, cum adventum hunc futurum intellexerint, ut piis exhortationibus & documentis populum præsertim in pagis rudiorem, præparent ac disponant, ostendantque, Confirmationis Sacramentum rem esse sanctitatis plenam, inde ab initio Ecclesiæ magno semper in pretio habitam, magnoque consensu SS. Patrum approbatam, ac propterea huc magna religione compositisque moribus piè accedendum esse.

4 Inter alia vero de his populum doceant, ut non alii inter adultos Episcopo sistantur Confirmandi, quam qui prima rudimenta scientiam Christianæ Religionis, scilicet Dominicam Orationem, & salutationem Angelicam, ac Symbolum Apostolorum.

5 Qui adulti ad Confirmationem veniunt, ne gratiæ Spiritus sancti obicem ponant, sacramentali prius confessione conscientias suas purgent. gravibus autem sceleribus obnoxii, vel infames, aut sententia excommunicationis ligati, antequam poenitentiam agant & ritè absolvantur, ad hoc Sacramentum non sunt admittendi.

6 Patrinios autem, ad offerendos eos qui confirmati sunt Episcopo, declaramus idoneos, qui primum ipsi sint Catholici, confirmati, maturæ ætatis, ab omni excommunicationis sententia liberi, nec gravioribus criminibus palam obnoxii; tum qui, eo anno ad Sacramentum Confessionis ac Communionis

C 2      acceffe-

c. pla-  
cuis. 16.  
q. 1. c. per-  
venit. 18.  
q. 2. c. non  
licet. c.  
Monach.  
57. de  
consecr.  
d. 4.

Mel-  
chiades  
Papa  
Epistola  
ad Epi-  
scopos  
Hispan.  
refertur  
c. 2. de  
consecr.  
dist. 5.

Act. c. 8.  
Ephes. 4.  
v. 30.  
Aug. lib.  
2. contra  
litteras  
Petil.  
can. om-  
nes fideles.  
de conse. r.  
dist. 5. &  
est Urbani  
Martyr.  
qui vixit  
An. 227.  
in exem-  
pla ad  
omnes  
Christia-  
nos. c. no-  
vissime,  
ead. dist.

c. 2. de  
consecr.  
dist. 5.

acceserint, prima fidei noverint rudimenta: Regulares autem personas ad hunc actum accedere prohibemus.

<sup>1</sup> c. in Ca-  
techismo.  
cum seq.  
de con-  
secr. d. 5.  
c. ult. de  
cognat.  
spir.  
Concil.  
Trid. sess.  
24. c. 2. de  
ref.

7 Patrinus autem non assumetur nisi unus, alius ab eo qui confirmandum ad Baptismum tenuerat.

8 Quilibet confirmandus, vel ejus Patrinus, fasciam lineam adferat, novam & mundam, trium digitorum latitudinis, ac longitudinis sufficientis, qua confirmati frons & caput ad reverentiam Chrismatis obligetur; triduoque gestetur; quo transacto deinde, si potest fieri, per Pastorem, aut Sacerdotem, aut Patrinum, aut alium è fidelibus, deponatur; & panniculus interpositus, quo Vnctio munita fuit, comburatur, mittanturque cineres in piscinam sacram; frons autem confirmati abluatur; aqua lotionis in piscinam sacram, vel cimiterium, vel profluentem, effundatur, nullo modo in locum aliquem immundum.

9 Parentes ac Patrini confirmatis suis Filiis diligenter attendant, invigilentque, ut vitam agant tanta caelestium donorum ubertate dignam, iisdemque saepe in memoriam revocent, quando, à quo, & ubi fuerint confirmati, & ut hac gratiae plenitudine ad Dei gloriam & salutem suam rectè utantur. Pastores etiam, confirmatos in particulari libro notent, ut in Pastoralibus.

#### C A P. X V. De Sacramento Eucharistiae.

<sup>1</sup> Chryf.  
hom. 60.  
ad pop. 83.  
in  
Matt. 45.  
in Ioan.  
61. ad  
pop. An-  
tioch.  
<sup>2</sup> c. multi.  
1. q. 1.  
<sup>3</sup> 1 Reg.  
4. 5. 6.  
2 Reg. 6.  
2 Cor. 11.  
<sup>4</sup> Sess. 13.  
in decret.  
de SS.  
Euch.  
sacr. Can.  
1. 2. 3. 4.  
5.  
<sup>6</sup> Cont.  
Trid. sess.  
13. de sa-  
cram. Eu-  
char. Can.  
3. Item  
sess. 21. de  
commun.  
sub uira-  
que, Can.  
1. 2. 3.

Cum Eucharistia sit præcipuum ac maximum Dei donum & longe sacratissimum Sacramentum, quo nihil habet Ecclesia dignius, admirabilius & salubrius, ipsum omnis boni ac gratiae fontem & autorem continens; dolendum sane est, multorum sanctae Religionis Catholicae adversariorum impia studia conatusque in oppugnationem hujus divinisissimi Sacramenti converti, multorum item & maxime malorum Sacerdotum impuritate ac vita mala, divinum hoc Sacramentum, horrendum in modum, profanari atque contemni; ut mirandum non sit, si Deus, merito hinc & offensus, gravissimas in populum calamitates immittat. Cui utrique malo occurrere cupientes, serio Pastoribus ac quibuscunque Concionatoribus, & divini verbi præconibus, commendamus; ut, quæ de astruenda hujus Sacramenti veritate, transubstantiatione, adoratione, veneratione, sumptione, oblatione, &c. sancta Synodus Tridentina post SS. PP. & DD. testimonia definivit, populo diligenter proponant atque explicant, simulque doceant, in Sacerdotibus quidem seu sacrificantibus ambas Sacramenti species sumendas, sine quibus rite consecratio & oblatio fieri non posset; in aliis vero fidelibus non sacrificantibus, illud certum esse, nullo

eos divino præcepto ad Eucharistiae Sacramentum sub utraque specie sumendum astringi, nec Christum in duas partes dissectum, secundum duo Sacramenti hujus signa, sed tam sub una quam sub utraque specie, imo sub unius etiam hostiae consecratae particula, Christum totum exhiberi, atque sumi, secundum Carnem, Animam, Sanguinem, Divinitatem, sine ulla gratiae, fructus, effectusque sacramentalis diminutione.

2 Qui ritus communicandi tanto accuratius in Ecclesia Nostra est ab omnibus retinendus, quo certius constat, hoc evidenti Symbolo Catholicos ab Hæreticis hodie plurimum discerni; & eos, qui usum calicis veluti rem ex institutione Christi necessariam ad salutem tantopere urgent, Ecclesiae Catholicae tum desultores tum contemptores esse; quos juvat magis de externis Sacramenti signis contendere, quam internam Eucharistiae virtutem & fructum quærere. Pastoribus vero serio & sub gravi poena injungimus, ne in hoc quicquam moribus Ecclesiae Catholicae contrarium committant.

3 Ne vero simpliciores errore decipiantur, ut, ablutioem ex calice sumentes, existiment, se Domini Sanguinem sumere; repetimus quod hac in parte à Prædecessore nostro ca. 3. Synodi statutum est; & volumus, ad rudis vulgi errorem abolendum, à Parochis vas quoddam honestum, distinctæ formæ tam à calice quam à domestico cyatho, atque illud, ubi commode haberi potest, argentum, in templo aservari, unde communicantibus & petentibus ablutio seu purificatio ab honesto Laico porrigatur; eaque de re populus, ne erret aut offendatur, diligenter instruat.

4 Volumus etiam ut in qualibet Ecclesia sit domuncula, seu receptaculum, vel tabernaculum ut vocant, Venerabilis Sacramenti, in loco elevato, conspicuo, honorifico, mundo, sicco, cancellis ac repagulis bene munito; in ipso summo Altari secundum morem Romanum tabernaculo aliquo excitato quod optamus; vel, quod toleramus, secundum vetustam Germaniae consuetudinem in latere sinistro Chori; ubi antiquissimo Ecclesiae usu, pro adoratione & infirmorum Viatico, Venerabile Sacramentum conservetur. Ut vero ab ingredientibus Ecclesiam animadvertatur, ubi sacrosancta Eucharistia sit adoranda, monitorio & conspicuo aliquo opere, seu pia aliqua sculptura, id designetur, quæ spectantes ad pietatem & cultum hujus Sacramenti, dulcem beneficiorum memoriam, & præsentiae Christi Domini nostri venerandam admonitionem excitet.

5 In Tabernaculo sit Monstrantia (ut vocant) argentea, deaurata, pro modo facultatum fabricæ, quæ ad Christi Venerabile Corpus

<sup>7</sup> c. Sano.  
de celebr.  
Missar. co.  
I. de eu-  
char. Euc.  
char.

pus

pus suis temporibus exhibendum vel circumferendum seruiat; similiter sit vasculum deens ac mundum, ex argento, quo Hostiæ consecratæ pro morientium Viatico & aliis necessitatibus conserventur, eo numero, quo præsentibus ægrotorum necessitati sufficere videbuntur. Renoventur vero singulis mensibus bis aut semel, vel etiam sæpius si loca sint humidiora, veteribus in Missa sub Communione ante ablutionem sumptis, & aliis in usum infirmorum de novo consecratis.

6 Coram Tabernaculo, in quo Venerabile Sacramentum aservatur, jugiter lampas ardeat, sumptibus fabricæ vel alterius qui ad hoc obligatur. quod ut non negligatur, Parochos & Sacristanos seu ædituos ad hujusmodi incuriam & luminarium defectus, ubicunque fuerint, corrigendos, aut Nobis vel Nostro Vicario quamprimum denunciandos, sub poena Nobis arbitraria obligamus.

7 Cum sanctissima Eucharistia ad ægrotos deferatur, id summa cum religione fiat; Sacerdos superpelliceo & stola indutus sit; præterea decoro impositum velamini sacrum Domini Corpus ante pectus honeste ferat, referatque, lumine semper prælucente & sonante tintinabulo, ut spectantium mentes ad honorandam Christi præsentiam efficacius excitentur.

8 Quoties autem Sacerdos ad ministrandum ægrotis Sacramentum accersitur, semper duo ut minimum ex ipsius ægroti vicinis Presbyterum cum Custode à Templo ad ægrotum usque, detectis capitibus & cum maturitate deducant, & inde ad Ecclesiam reducant.

9 Monetur verò omnes, constituti in via quâ Sacerdos cum Venerabili Sacramento tranlit, ut summum illi honorem exhibeant, & sine equo sive curru vehantur, religiosè descendant, & tam diu flexis genibus permaneat, quoad Sacerdos cum Venerabili Sacramento transferit, quod multam huic Sanctissimo Sacramentum consiliat reverentiam; idque nullius dignitatem dedecere, sed pro fidei suæ devotione ac professione verè gloriosum ac Christianum esse, arbitrari omnes debent.

10 Curetur verò diligenter, ut in administratione hujus Sacramenti, sicuti & Extremæ Vnctionis, ægrotantis cubiculum expurgatum, decenterque sit compositum, ac mensa aliqua linteo mundo instrata sit, ac etiam Cruce, luminaribus, ac vasculo aquæ benedictæ, instructa, præparetur, in qua pyxis cum Venerabili Sacramento constitui possit.

11 Nolimus verò, ut in Civitatibus, oppidis & pagis, pauciores quam duæ Sacræ Eucharistiæ particule ad infirmum deferantur, ne, cum Sacerdos ad Ecclesiam redit, falso existimet populus, præsentem & adorandam Eucharistiam adesse. Quod si procul à Civitatibus,

oppidis & pagis, ad ægrotos Sanctissima Eucharistia sit deferenda, quia interdum periculum subesse potest, Sacerdos, vel pedes vel eques, vel in curru honeste compositus, ac superpelliceo & stola indutus, in pyxide minore argentea, honesto loculo inclusa, ex collo dependente, vel ante pectus gestata, unam vel plures hostias pro ægrotorum providendorum numero conservabit; lumine præcedente usque ad domum ægroti, dispensata vero communiione, Sacerdos, deposita stola & superpelliceo, sine lumine, in silentio & cum modestia ad Ecclesiam revertetur.

12 Hortamur etiam atque etiam Parochos, & quamvis refrigerante charitate ac devotione populi Christiani, Ecclesia omnes Christi fideles obliget ad sacram Eucharistiam semel minimum in anno circa Festa Paschalia sumendam, quia tamen sicuti corpus materiali, ita anima spirituali cibo sæpius reficienda est, ideo diligenter adhortentur subditos Parochi, ut sæpius, vel saltem celebrioribus Festis, Exomologesi præmissa, sacrosanctum Christi Corpus reverenter sumant, eosque ad hanc piam & salutarem frequentiam, verbo, exemplo, publice ac privatim invitent.

13 Refert autem plurimum, quanta fide, charitate, ac devotione præditi sint, qui ad Eucharistiam percipiendam accedunt. Hinc Parochi studiosè populum doceant, de ratione pie sancteque cum magna præparatione atque reverentia communicandi, diligenterque Canonem illum explicent Apostolicum, & illis quasi ob oculos ponant, *Probet autem se ipsum homo, &c.* Declarentque, ex consuetudine Ecclesiastica illam probationem necessariam esse, ut nullus, sibi peccati mortalis conscius, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere præsumat. quam consuetudinem simul & Ecclesiæ præceptum ab omnibus communicaturis præcipimus inviolabiliter observari.

14 Sacro Paschatis Festo singuli Parochiani in sua Ecclesia Parochiali communicent; nec quisquam illud differat, vel alibi faciat, sine causa à Nobis vel Vicario Nostro vel Parocho approbata. Qui vero tempore Paschali absentes fuerint, aut ex necessitate aut alia iusta causa alibi communicarint, intra octo dies à reditu, impleti præcepti Ecclesiastici testimonium fide dignum Parocho exhibeant.

15 Si quis vero istud Ecclesiæ mandatum contempserit, & monitus non respuerit; & vivus communionem fidelium privetur, nec ad Sacramentum etiam Matrimonii admittatur, & mortuus sepultura Christiana careat; secundum Canonem Concilii Lateran. quem pro evidentiore intellectu hic inferi curavimus.

16 Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus pec-

c. omnis  
utriusque  
de poenit.  
& remiss.

1 Cor  
II.

1 d. c. omnis  
utriusque  
que. Conc.  
Trid. sess.  
13. de sa-  
cram. Eua-  
char. Can.  
9. & sess.  
14. de sa-  
cram. Poenit. c. 5.

cata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, & inunctam sibi poenitentiam propriis viribus studeat adimplere; suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiae Sacramentum, nisi forte de proprio Sacerdotis consilio, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab huiusmodi perceptione duxerit abstinendum, alioquin & vivens ab ingressu Ecclesiae arceatur, & moriens Christiana careat sepultura.

17 Parochi quoque teneantur annue non communicantium nomina Nobis, aut Vicario Nostro, in scriptis deferre, quod ut certius fieri possit, Pastores & alii Confessarii suis poenitentibus, uti etiam communicantibus, certas Schedas, quas Nos imprimi curabimus, distribuunt, illasque post Dominicam in Albis recipiant, ut de iis rationem reddere possint. Caveant vero diligenter, ne aliis, quam tempore Paschali confitentibus & communicantibus, illas tradant, aut alia fraus surrepat.

Pueros, ubi ad annos discretionis pervenerint, ne patiantur Parentes & Parochi à sancta Communione diutius abstinere, sed eos pie ad Eucharistiae sumptionem inducant, & Ecclesiae offerant; prius tamen in Christianae fidei rudimentis, & iis quae ad dignum tanti Sacramenti usum ac fructum cognoscendum pertinent, diligenter instructos.

Damnatis ad mortem, de peccatis rite confessis & contritis, negari non debet Eucharistia; sed tamen danda ante diem supplicii, si commode fieri possit.

Quando sacra Communio in Templo datur, praesertim in Paschate & in Festis solemnioribus cum multi simul communicant, ut omnia ordine bono & cum debita reverentia fiant, concedens est, ut mares seorsim, & feminae etiam seorsim, procedant.

Publici Concubinarij, Fornicatores, Foeneratores, Blasphemi, Usurarii, Simoniaci, Meretrices, Excommunicati, alique notorie criminosi, praesertim si post serias admonitiones vitam moresque comperiantur non emendasse, item furiosi, amentes, & usu rationis destituti, nisi lucida habeant intervalla, ad Communionem non admittantur.

#### C A P. X V I. De Sacrificio Missae & celebratione Missarum.

1 C O nstans est Ecclesiae vera doctrina, quam semper tradidit & à suis Ministris doceri vult, Eucharistiam simul & sacrificium esse & Sacramentum: Sacrificium verae laudis, gratiarum actionis, ac propitiationis pro fidelibus vivis & defunctis: Sacramentum autem spiritualis alimoniae, quo vitam nostram spirituales tueri & conservare possimus: nec potuisse Salvatorem nostrum, quando seipsum in ara Crucis obtulit, illustrius erga nos suam charitatem testatam facere,

quam cum nobis visibile Sacrificium reliquit, quo cruenti illius Sacrificii, in ara Crucis semel immolati, virtus & efficacia in nos derivaretur, cuiusque memoria usque in finem saeculi quotidie summa cum utilitate ab Ecclesia, per totum terrarum orbem diffusa, recoleretur.

2 Cumque fateri cogamur, nullum opus adeo sanctum ac divinum à fidelibus tractari posse, quam hoc ipsum tremendum Mystrium, quo vivifica illa hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus, in Altari per Sacerdotes incurto modo quotidie offertur; fati etiam apparet, omnem operam & diligentiam in eo ponendam esse, ut, quanta maxima fieri potest, interiori cordis munditia & puritate, atque exteriori devotionis & pietatis apparatu ac specie illud ipsum peragatur.

3 Itaque Sacerdotes, Deo placationis hanc hostiam oblaturi, primum seipsos probent, ac conscientias suas scrutentur, easque, quotiescunque opus fuerit, Sacramentali confessione expurgent, priusquam ad altare sacrificaturi accedant; nunquam vero cum conscientia vel reatu peccati mortalis mysteria ista sacrosancta contrectent. 4 Quod si Confessarii facultas nulla sit, & urgeat alioquin celebrandi necessitas, cum contritione & proposito statim confitendi habita Confessarii copia celebret, & peracta Missa propositum illud, quamprimum poterit, exequatur.

4 Sacerdotes vino & temulentiae dediti, impuritati vitae & aliis criminibus obnoxii, à Missarum celebratione arceantur, nisi sinceræ emendationis specimen exhiberint.

5 Vt autem in conquirendis Confessariis minor sit difficultas, libere permitimus Sacerdotibus qui regulares non sunt, ut, quem velint Confessarium, à Nobis admittunt, & juxta formam Concilii Tridentini approbatum, sibi eligere possint, per quem à peccatis omnibus, quae Sedi Apostolicae aut Nobis reservata non sunt, absolvantur. Conabimur autem Diocesim nostram in suas regiones distinguere, & singulis certas Parochias assignare, in illisque Decanum aliquem ruralem denominare, qui eminentiorem super alios curam & certis in casibus potestatem habeat ampliorem.

6 Praecipit sacra Synodus Tridentina, ut, quaecunque in Missae celebrationem irrepserunt à tanti Sacrificii dignitate aliena, illa locorum ordinarii Episcopi prohibere atque è medio tollere sedulo curent ac teneantur. Quamobrem Nos, huiusmodi decreto inhaerentes, omnia & singula, quae vel avaritia, vel irreverentia, vel superstitio, vel malus usus induxit, sublata esse volumus; sicuti sunt pactioes, mercedes, candelarum certus numerus, inultatae preces, & quae sunt similia avaritiae & superstitiosae vanitatis sufflamina.

7 Missae nec nimis tarde, nec nimis festinanter,

Can. fu-  
res. 13.

q. 1.

Clem.  
cum se-  
canduz.  
de poenit.

Remiss.

c. quod in

to. cod. tit.

2 c. 111

nos. & c.

quod situm.

de coha-

bit. Cler.

Emulier.

c. pro di-

lectione.

de consec.

d. 2. Can.

multi. 2.

q. 1. c. si

Sacerdos.

de off. ind.

ord.

Conc.

Trid. Sess.

22. c. 1.

& 2. de

Sacrif.

Missae.

Conc.  
Trid. Sess.  
13. de Sa-  
cram. Euc-  
char. c. 7.  
& Can.  
11.

Sess. 22.  
c. 2. in de-  
cret. de ob-  
serv. &  
evit. in  
Missae celeb.

ter, neque memoriter, sed ex Missali legantur. omnes peregrinos & indecoros gestus oris, capitis, manuum, brachiorum, ac totius corporis jactationes ab augustissimo hoc mysterio eliminatos esse volumus.

8 Sacerdotes, quæ debent ex instituto Ecclesiæ, palam clariori voce pronuncient, reliqua secrete recitent.

9 Circa elevationem sacræ Hostiæ, Antiphonæ vel aliæ cantiones intempestivæ ne intercinantur, nec organum pulsetur, sed altum silentium cum recollectione animi, quod præsentibus tunc mysteriis debetur, observetur. Post elevationem Calicis, si musice cantandum est, id devote & graviter fiat: ubi verò hæcenus moris fuit, ut ad elevationem majori vel alia campana signum detur, etiam in posterum observetur; ubi non fuit, introducatur; & populus admonetur, ut tam domi quam foris ad dictum signum, reverenter, vel stet capite detecto, vel in genua procumbens oret, gratias agens Redemptori nostro, quod propter nos & nostram salutem descendit de cælis, & incarnatus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine, & Homo factus est.

10 Nec ante auroram, nec post meridiem, nisi ex causa jure permisa, nec sub Concione, Missæ celebrentur.

11 In oppidis, Pagis, & Collegiatis Ecclesiis, tam hyberno quam æstivo tempore horæ celebrandæ certo modo disponantur, ut omnium devotioni & obligationi satisfiat. Vbi vero eodem die plures Missæ dici consueverunt, is ordo servetur, ut prima in ipso diluculo pro plebis commoditate, aliæ successivè & ex intervallo dicantur, non verò plures (quatenus fieri potest) eodem tempore, præsertim diebus festivis; ut pro majori sua ipsique commoditate præcepto Ecclesiæ de audiendo sacro satisfacere possit.

12 Celebrantibus autem semper Minister adsit, qui ipsis inserviat & respondeat, semper si fieri potest superpelliceo indutus, alias corpore & moribus compositis; qui ab Altari non, nisi peracto sacro, cum Sacerdote secedat.

13 Repetimus quoque ex Concilio Tridentino & Synodo Osnabrugensi, quod de Missæ Officio in privatis Oratoriis seu ædibus, aut ara portatili, non dicendo, est ordinatum, sine speciali Nostra aut Vicarii Nostri licentia, in scriptis obtenta.

14 Alienum est ab instituto Nostro & consuetudine Ecclesiæ Romanæ, ut diebus Dominicis ac festivis Missa defunctorum solemniter propter exequias mortuorum servetur. quapropter satius est, ut justa funebria in alios hebdomadæ dies rejiciantur. Quod si vero ob singulares causas ipsis Dominicis aut Festis peragendæ viderentur, id ita fiat, ut vel in Missa Dominicæ vel Festi adjuagatur oratio propria pro Defunctis, in paramentis tamen

sacerdotalibus, tempori convenientibus; vel, præter consuetam Parochialem Missam, una aut plures pro Defunctis dicantur, si plures Sacerdotes haberi possint.

15 In Altaribus & circa illa nihil omnino sit fordidum vel incompositum; in vestibus sacris nihil lacerum, vel immundum; curentque Sacerdotes, ut paramenta habeant tempori & officio convenientia. Nihil quoque desit in sacris vasis, ad officium divinum spectantibus. Altaris mappæ, purificatoria, corporalia, & alia officii divini instrumenta, sæpius laventur, mundaque & integra tutis in locis conserventur.

16 Primam Missam celebraturi Sacerdotes, non ante id facere permittantur, quam in sacris Missæ ritibus & tota ratione celebrandi juxta usum Romanum sufficienter fuerint instructi. Severe autem prohibemus omnem conviviorum luxum, ludorum, chorearum, & similibus abusuum vanitatem; nec admittimus nisi ad frugale convivium ex viris aliquot honestos, ex foeminis matrem dumtaxat, sororem & in secundo gradu conjunctas. Ne fas enim & valde indignum est, Sacerdotes Christi illo die, quo primum puras in sacrificio ad Deum manus levant, rebus profanis & ludicris occupari, aut quod pejus est crapulari. In eos vero, qui in hoc deliquisse inventi fuerint, graviter animadvertemus.

Multum vero pietatem ac devotionem in populo promovebit, si Parochi ac Concionatores, hujus Sacrificii à Christo in ultima cœna instituti veritatem, excellentiam & admirabiles fructus singulari studio doceant, eumque commonefaciant, ut non solum Dominicis & Festis, sed aliis etiam diebus per hebdomadam, sacro Missæ Officio interesse studeant, neque sub reatu peccati mortalis Missam diebus Dominicis & festivis omittant. patres matresque familias etiam commonefaciendi sunt, ne liberos suos, servos & ancillas, talibus diebus ita occupent, & Missam & Concionem audire non possint.

Conc.  
Trid. Sess.  
22. de  
Sacrif.  
Missæ. c. 8.

c. Missæ  
sas. cum  
ad celebrandas.  
de consecr.  
dist. 1.

#### CAP. XVII. De Sacramento Pœnitentiæ, & casibus reservatis.

1 **S**I ea in regeneratis omnibus gratitudo erga Deum esset, ut justitiam in Baptismo, ipsius beneficio & gratia, susceptam constanter tuerentur, non fuisset opus, aliud ab ipso Baptismo Sacramentum ad peccatorum remissionem esse institutum. Quoniam autem Deus, qui dives est in misericordia, cognovit figmentum nostrum; illis etiam vitæ remedium contulit, qui se in peccati servitutem & Dæmonis potestatem tradidissent; Sacramentum videlicet Pœnitentiæ, quo lapsis post Baptismum beneficium mortis Christi applicatur; ut merito SS. PP. 8. & Concilium

Concil.  
Trid. Sess.  
22. de Sacram. Pœnitentiæ. c. 1.  
S. Hieron. in 3. c. Esaiæ. ad Demetrum de servanda Virg. S. Ambrosii ad Virg. laps. c. 8.

C 4 Trid.

c. hoc  
quoque de  
consecr.  
dist. 1.  
Sess. 22.  
Decreto  
de observ.  
Evangelii in  
celebrat.  
Missæ.  
c. 22.  
c. Sicuti  
cum seqq.  
c. his ergo.  
c. Nullus  
Presbyter.  
c. Clericus.  
de consecr.  
dist. 1.



*1 Sess. 6. c. 14. & Sess. 14. c. 2. Can. Secunda de Pœnit. dist. 1.*

Trid. 1 Pœnitentiam, secundam post naufragium tabulam appellarint; qua scilicet ex vorrice mortalis peccati, tanquam è naufragio subvehi, & in portum salutis transferri unusquisque possit.

2 Doceant autem Parochi diligenter suos Parochianos, post lapsum ac mortalis peccati reatum, hoc medicamentum atque perfrugium Christianis omnibus ad eò ad reconciliationem salutemque necessarium esse, ut sine illo, vel ejus voto, nemo in nova lege lethaliter peccato adstrictus salvari possit. Hanc autem frugiferam esse pœnitentiam, 2 ut, quibus modis Deum offendimus (offendimus autem corde, ore, ac opere) iisdem reconciliemur Deo; corde quidem per contritionem, ore per Confessionem, ac opere per satisfactionem: quas integrales partes frequenter populo inculcandas, & præsertim ob laxiores hujus temporis opinionones ostendendum monemus, specialem peccatorum confessionem, cum numero ac circumstantiis, speciem peccati aut mutantibus, aut notabiliter aggravantibus, necessariam esse, ut Sacerdos causæ cognitionem recte ex statu pœnitentis intellecto instituire, & ubi peccata solvenda, ubi liganda, recte discernere possit.

*2 S. Chr. 1. serm. de vera pœnit.*

3 Cum toto anno, tum præcipuis Christi & B. Virginis festivitibus, & Quadragesimæ potissimum tempore, fidelibus Pœnitentiæ atque Confessionis ulus fructusque ferventer à Parochis & Concionatoribus erit commendandus, ac populus ad eorum frequentationem piis cohortationibus excitandus; monendique communiter omnes, cum per annum sæpius & quidem in gravissima peccata labantur, quanto cum salutis periculo conjunctum sit, si salutare pœnitentiæ remedium non eligant, sed potius in tanto salutis suæ æternæ discrimine versari, ac Dei gratia destitui, majoremque, hac Confessionis dilatione, humani generis hosti occasionem insidiarum ac malitiæ suæ in ipsos exercendæ, præbere velint.

4 Sacerdotes singulis quindenis, cæteri Clerici singulis mensibus, minimum, confiteantur.

5 Puerperæ periculose ægrotantes, & alii quibus probabile vitæ periculum imminet, non differant, salutaribus Pœnitentiæ remediis se munire, idque tempestive, ne cum corpore etiam animæ periculum incurrant. & ad hoc studiosè advigilent Pastores, atque etiam, cum necessarium judicaverint, ultro sese offerant.

*3 Concilio Trid. Sess. 14. de Sacram. c. 7. & Sess. 23. c. 15. de ref.*

6 Ad Confessiones autem audiendas requiritur in Sacerdote, præter potestatem quam in ordinatione sua accepit, etiam collata per Episcopum Iurisdictione, 1 & absolvendi potestas, prævio examine seu approbatione Episcopi, sine qua nulla est absolutio.

7 Nullus itaque Sacerdos, siue Sæcularis

siue Regularis, Confessiones audire præsumat quorumcunque, siue Sæcularium & Laicorum, siue Sacerdotum & Clericorum, nisi prius examine præmissio idoneus repertus, & à Nobis aut Nostro Vicario Generali approbatus fuerit; excepto mortis articulo, quando approbatus Confessarius haberi non potest; tunc enim quilibet Sacerdos ab omnibus & quibuscunque peccatis, etiam Sedi Apostolicæ aut Nobis reservatis, in foro conscientie absolvere potest.

8 Præter hanc Iurisdictionem præsentem requiritur vitæ integritas, ætatis aut saltem morum maturitas, scientia Canonum pœnitentialium, censurarum & casuum reservatorum; diligens lectio probatorum & piorum scriptorum, qui de Sacramento Pœnitentiæ scripserunt; prudentia, & discretio, ut sciant distinguere inter lepram & lepram, & salutarem medicinam peccatis contrariam applicare, pro peccato luxuriæ jejunium & continentiam, pro avaritia largitatem, pro furto primò restitutionem, deinde opera misericordie, &c. similia.

*c. Deus qui Ecclesiam de pœnit. & remiss. Conc. Trident. Sess. 14. de Sacram. pœnit. c. 8.*

9 Extra necessitatem Confessiones non audiantur nisi in Ecclesia, & loco aperto; maxime si confitentes sint mulieres; quas convenit breviter expedire. Confessionalia ubique erigantur in loco commodo templi, sumptibus fabricæ.

10 Caveant autem Parochi & Presbyteri, audientes confessiones, ne alii, confiteri volentes, nimium appropinquent, & confitentem aut turbent aut facultatem illi adimant liberè proferendi peccata sua, aut Confessario exactius interrogandi.

11 Meminerint etiam Confessarii, sigillum Confessionis sibi strictissime observandum, nec verbo, signo, nutu, aut quovis alio modo vel minimum veniale peccatum Confitentis prodendum esse, idque etiam post mortem; sub pœnis à Iure præscriptis. Observent etiam, ne cum pœnitentibus, quorum Exomologesin audierint, extra Confessionem de iis peccatis agant, quæ illis in Confessione manifestata sunt, nisi forsitan prægnantibus de causis, petita ante venia, & ad singularem Confiteatis utilitatem id fiat.

*c. Sacerdos de pœnit. d. 6. ca. omnis utriusque de pœnit. & rem.*

12 Magnopere verò ad Christiani populi disciplinam & Ecclesiæ autoritatem pertinere semper visum fuit, ut atrociora quædam & graviora crimina non à quibusvis, sed summis dumtaxat Sacerdotibus, absolverentur. Vnde merito Pontifex + Maximus, pro summa potestate sibi in Ecclesia universa tradita, causas aliquot graviorum criminum suo peculiari iudicio reservavit. quod idem Episcopis in sua cuique Diocesi, supra alios Sacerdotes inferiores autoritate, licitum esse, Concil. Trid. 5 ex definitione Canonum antiquorum recte statuit.

*4 Concil. Trid. Sess. 14. de Sacram. Pœnit. c. 7. 1. dist. Sess. 14. c. 7. & c. 1. & c. 1. Episcopus de pœnit. & remiss. in 6.*

CAP. XVIII. De Sacramento  
Extremæ Vnctionis.

13 Peccata vero & crimina, reservationi Summi Pontificis subjecta, multa sunt; quorum præcipua in Bulla Cœnæ Domini sigillatim referuntur; de quibus expedit legere Navarrum in Manuali, & Toletum in Instructione Sacerdotum, Franciscum Suarez & alios de Censuris, Sylvestrum & alios Summistas verb. Censura, Casus reservati, Excommunicatio, &c.

14 In quibus tamen casibus, Sedi Apostolicæ reservatis, si occulti sint, Nos & Vicarius Noster ut absolvere & dispensare possimus, Concilium Trid. statuit.

1 Sess. 24.  
c. 6. de  
res.

15 Cum vero multi sunt Casus, Episcopali absolutioni ac dispensationi de jure reservati, qui à multis Dd. in unum sunt collecti, ac in Pastoralis Romano, à Nobis in publicum dando, designantur; ex iis tamen plerisque, Nobis de iure & consuetudine reservatos, hic ponendos existimavimus.

Casus reservati Clericorum.

Fornicatio cum filia Confessionis.  
Concubinatus publicus, & vaga fornicatio.  
Revelatio Confessionis.

Furtiva susceptio sacrorum Ordinum sine debita licentia, & Dimissorialibus ab alieno Episcopo; aut cum Censuris irretitas quispam Ordinem suscipit, aut sine Ordinibus celebrat aut ministrat.

Casus reservati Laicorum.

Matrimonium contractum cum alia, conjugehaduc vivente, scienter, aut antequam de morte prioris satis certificetur; aut clandestine initum, non servata forma Concilii Tridentini; machinatio in mortem Conjugis, morte secuta.

Casus reservati, Clericis & Laicis  
Communes.

Homicidium voluntarium, facto, præcepto, consilio, vel consensu deliberato commissum.  
Sacriligium in re vel in persona.

Incestus cum Consanguineis & Affinibus in gradu, à Concilio Tridentino determinato.  
Adulterium.

Raptus.

Procuratio abortus vel sterilitatis.

Incendium Ecclesiarum, domorum, aut segetum, malitiosè factum.

Pollutio Ecclesiæ, Cœmeterii, sanguinis vel feminis effusione.

Violatio immunitatis & libertatis Ecclesiasticæ.

Item veneficium, fortilegium, divinatio, incantatio, cum pacto Dæmonis expresso vel implicito, & abusus Sacramentorum & rerum sacrarum ad superstitiones & artes magicas.

1 **E**Cclesia Catholica, contra omnium temporum hæreticos, ab ipsis Apostolorum temporibus palam semper ex D. 2 Jacobi Apostoli sententia affirmavit & docendum tradidit, Extremam Vnctionem Sacramentum esse vere ac proprie dictum, quo, migraturis ex hac vita, Oleo salutis & Fidei oratione augetur robur contra hostes invisibiles, in isto momento (ex quo dependet æternitas) fortius impugnantibus, & calcaneis ac fini vitæ insidiantibus; ac deinde gratia confertur remissionis reliquiarum peccatorum ad salutem corporis & animæ.

2 Jacobi  
5. v. 14.  
& 15.

2 Ideoque hujus Sacramenti usum & salutare effectus sæpius Parochi suis subditis, ac præsertim egrotis, explicent, ut, quod hætenus in Diocesi Nostra fere in desuetudinem abiit, in pristinum laudabilemque usum revocetur.

3 Conc.  
Trid. sess.  
14. in do-  
ctrina de  
Sacram.  
Ext. Vn-  
ctionis.  
4. sess.  
24. c. 7. de  
res.

3 Parochi, induti superpelliceo & stola, hoc Sacramentum administrant periculosè laborantibus, & quorum jam deplorata videtur valetudo; licet etiam agonizantibus, & qui improvisa vi mortis opprimuntur, ac sensibus carent, recte conferatur, modo antea bonæ & honestæ vitæ fuerint, & præcedenti tempore Paschali communicarint. Custodes quoque, superpelliceis induti, cum lumine sine nola præcedant.

4. sess.  
14. c. 3.

4 Observent vero Parochi, Extremam Vnctionem non esse dandam pueris, extremo supplicio afficiendis, amentibus, furiosis, qui non habent lucida intervalla, impenitentibus, desperatis, excommunicatis, & qui præcepto Paschalis Communionis non satisfecerint.

5 Eximenda quoque est illa persuasio erronea & perniciosa ex mentibus hominum, qua sibi imaginantur, sese, si inungantur, citius morituros, ut propterea ad extremum vitæ halitum hoc Sacramentum differant.

6 Invigilent verò Pastores, si ex suis infirmari aliquem graviter intelligant, & mortis periculum subesse existiment, ne forte, prædicta opinione vel negligentia aut malignitate domesticorum aut aliorum, Vnctionis Sacramentum impediatur, aut æquo justius differatur; quin potius ultro ex charitate & officii sui ratione sese offerant, oviculam suam invitant, moneantque infirmum de cura salutis suæ habenda, frequentiq; visitatione ad mortem disponant, ac, quatenus per occupationes licet, morituris consilio, solatio & auxilio adesse studeant; aut saltem curent, ut alius aliquis Sacerdos aut Religiosus advocetur, qui luctantem cum morte adjuvet; habeantque Pastores in hanc rem assiduos sibi libellos quosdam pios, qui de ratione bene juvandi morientes à piis & doctis viris sunt compositi.

7 Cæ-

7 Cætera quæ ad rectam hujus Sacramenti administrationem spectant, ex libro Pastoralis petenda sunt.

CAP. XIX. De Sacramento Ordinis.

1 O Rdinum collatio, seu manuum impositio, cum ostium sit ad Ecclesiarum gubernacula, & ministeria exercenda; omni certe diligentia illud observandum est, quod hætenus diligenter curatum non fuisse multis in partibus orbis Christiani lugemus. hinc enim tanta mala uno quasi imperu in Ecclesiam inundarunt, eamque misere afflixerunt; ut attentio-rem posthac curam Episcopalem merito requirant, ne, quod D. Apostolus Paulus discipulo suo 1 Timotheo præscribit, id cum magno Ecclesiæ exitio contemnatur. Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis, qui etiam hujusmodi custodia formulam quandam charissimis suis discipulis ex professo 2 præscribit, quam Nos sequentes, circa ordinandos & eorum ingressum, subjunctas conditiones observandas, ex Conciliis & Canonibus depromptas præscribimus.

1 Tim. 5. 1 Tim. 3. ad Tit. 1. c. 1. & fin. De Presbyt. non baptizato. Conc. Trid. sess. 23. c. 4. de ref. c. 1. De filiis Presb. in 6. c. cum nullus, de tempor. ord. in 6. Can. de his, dist. 28. c. 2. dist. 77. c. ult. De temp. ordin. in 6. d. ca. 2. Conc. Trid. sess. 23. c. 12. De ref. c. 1. & c. consulti. De servi. non ord. c. Matrimonium, dist. 33. & c. Clerici. ead. dist. dist. 55. per tot. & c. 6. & toto tit. de corp. vitiatis non ord. c. 3. de temp. ord. in 6. dist. 71. & 72. per tot. Conc. Trid. sess. 23. c. 8. de ref. 14. dist. 27. 28. & 32. per tot. & c. 5. de cons. conjug. 15. c. cum illorum, de sent. excomm. & c. 1. de eo qui furt. ord. susc. 16. c. illiteratos. d. 36. c. Penitendi. 55. c. fin. de atate & qual. ord. 17. Conc. Trid. sess. 23. c. 5. 7. & 12. de ref. dist. 49. & 50. per tot. 18. dist. 70. per tot. & c. cum secundum de Prab. & dignit. c. accepimus, de at. & qual. Conc. Trid. sess. 21. c. 2. de ref.

2 Primam tonsuram & Quatuor minores Ordines suscipere desiderans, debet esse 3 baptizatus, sacro Chrismate 4 confirmatus, ex legitimo matrimonio 5 procreatus, aut natalibus restitutus, origine vel domicilio vel beneficio 6 Diocesanus, aut à suo Episcopo dimissus. Ad primam tonsuram requiruntur anni 7 septem completi. Eos, qui quatuor minores susceperunt, expedit pauciores non habere quam annos 8 duodecim. Ordinandi 9 Subdiaconi inchoasse debent annum ætatis suæ vigesimum secundum, Diaconi vigesimum tertium, Presbyteri vigesimum quintum; de quo fidem facere debent publico Magistratus loci, aut alio fide digno Testimonio, sicuti & de justis natalibus, aut, si eorum defectum patientur, legitima restitutione ac dispensatione.

3 Præter hæc requiritur primo, ut ordinandi sint 10 liberi, mente & corpore 11 integri. Secundo non truncati, non mutilati, aut notabilem deformitatem 12 corporis patientes. Tertio Diocesani, 13 aut à suo proprio Episcopo dimissi. Quarto matrimonii 14 vinculo non obnoxii. Quinto non 15 Excommunicati. Sexto competenter 16 docti. Septimo 17 vitæ probatæ. Octavo titulum 18 sufficien-

tem beneficii aut 19 patrimonii habentes. Quæ omnia partim per evidentiam & ocularem demonstrationem, partim per Examen, partim Literis & Testimoniis constare debent.

10 d. 7. sess. 21. c. 2. & sess. 23. c. 16.

4 Qui ad Superiores Ordines promoveri petunt, Literas primæ tonsuræ seu accepti prioris Ordinis exhibeant. Ad Diaconatum & Presbyterium ordinandi fidem faciant de functionibus priorum Ordinum debite exercitis, de horis Canonicis recitatis, de gestato habitu & corona Clericali.

5 Cum nonnunquam contigisse animadvertamus, quod nonnulli Civitatis & Diocesis Nostræ Clerici indocti, ac vitæ non satis probatæ, dimissoriales variis modis extorserint, & sub earum prætextu in exteris Diocesis Ordines furtive susceperint: volumus & serio mandamus Vicario nostro in Spiritualibus, ne in posterum sine gravi & legitima causa literas hujusmodi Dimissoriales concedat; præsertim quando Nos in Diocesi nostra per Vicarium Nostrum in Pontificalibus Ordines conferri curabimus.

6 Qui beneficia Parochialia, sive quævis alia curata, adepti sunt, illa non ante admittant, à Nobis Iurisdictionis executionem accipiant.

10 Concil. Trid. sess. 24. c. 12. de ref.

7 Sacris majoribus Ordinibus initiati, vel in minoribus beneficium obtinentes, sciant, se secundum Constitutiones Ecclesiasticas ad preces horarias quotidie persolvendas, sub pœna peccati mortalis & restitutionis fructuum, pro rata temporis quo Officium non impleverunt, teneri; ideoque huic obligationi studiosè satisfaciant.

8 In Cantu Ecclesiastico addiscendo hætenus magna ordinandorum negligentia animadversa fuit, non sine gravi scandalo populi; ut aut muti sint multi in Choro Clerici, Cantus Ecclesiastici imperiti, aut in voce inconcinna & absone mutis deteriores sæpe reperiantur. Quare serio mandamus omnibus, ad sacros Ordines aspirantibus, ut Cantum Gregorianum seu Choralem ex principiis, usu, atque exercitatione addiscant. Cujus etiam in examine posthac rationem accuratam haberi volumus.

CAP. XX. De Sponsalibus, & Sacramento Matrimonii.

1 R Ecte, ex antiqua Ecclesiæ consuetudine, Matrimonii Sacramentum præcedere solent Sponsalia; quæ sunt futurarum nuptiarum repromissio, & Matrimonii quædam præludia atque præparatio; ne scilicet temere ac præcipitanter, sine magna consultatione & deliberatione, contracta Matrimonia, postea vel impedimento aliquo afficiantur,

Can. nov. strates. 30. q. 5. l. 1. v. 2. sess. de Spons.

tur, vel difficiliore pariant exitus. Quæ Sponsalia cum à sacro Concil. Tridentino in suis terminis ac juris communis dispositione relicta sint, præterquam quod nunc, sublato Matrimonio clandestino, per carnalem copulam in Matrimonium non transeant, certum est tamen, valida esse, & servari debere, etiamsi coram Parocho ac testibus contracta non fuerint, nec posse contrahentes leviter ac voluntate sua, nisi ob causas jure definitas, & à Nobis aut Nostri deputatis Commissariis approbatas, à Matrimonio contrahendo resilire, quod juste illis concedetur, ubi causa petendi iusta apparebit.

2 Ut vero minor sit controversarum occasio, Sponsalia non clandestine vel in angulo, sed in domo aliqua honesta, aut in loco sacro, Parentibus, Cognatis, Tutoribus, aut pluribus Testibus aut etiam Parocho præsentibus, contrahantur; admoneanturque à Parochis Adolescentes & puellæ, ne invitæ & insciis Parentibus vel Tutoribus Sponsalia vel Matrimonium inire, nec in hac re magni momenti quicquam inconsulto calore, præsertim quod contra honestatem pugnet, inchoare præsumant. Sed & monendi Parentes ac Tutores, ne ipsi morositate sua Liberos ætatis maturæ tardius eloquent, illisque vel incontinentiæ vel fugæ aut inconsultæ actionis prænitendam præbeant occasionem.

3 Grave peccatum est, frequens tamen in his regionibus, quod, post contracta Sponsalia, desponsi, antequam legitime matrimonium contraxerint, se carnaliter cognoscant, ad quod periculum incontinentiæ evitandum, moneant Parochi Sponsos, ut intra sex septimanas ad matrimonii celebrationem procedant, nec ante benedictionem in Templo suscipiendam sub eodem tecto habitent, aut soli conversentur, quod si contra hoc aliquid attentaverint, eos Nobis aut Vicario Nostro denuncient.

4 Monemus vero omnes Parochos, ut, quæ ex Concilio Tridentino, de contractu Sponsaliorum ac Sacramento Matrimonii, de trinis proclamationibus ac denunciationibus, assistentia proprii Parochi ac testium, præparatione contrahentium, &c. post ejusdem Concilii publicationem & receptionem, tempore Prædecessoris Nostri factam, speciali mandato per Nos iterum inculcata sunt, ut quam diligentissime observentur, & bis in anno populo proponantur; scilicet prima Dominica post Festum Epiphaniæ, & prima post Festum Trinitatis, sub pœna decem aureorum Florenorum, quoties illud neglectum fuerit.

5 Cum Matrimonium à Deo primitus in paradiso ad propagationem generis humani sit institutum, & in Evangelio confirmatum, utile quidem infirmis hominibus ad remedium, ac Christianis conjugibus ad officium

mutuum præstandum, Deique populum augendum, magnumque propterea Sacramentum ab Apostolo dicitur, arctissimam juxta ac sanctissimam Christi sponsi & Ecclesiæ sponsæ conjunctionem adumbrans, ac propterea maxime deceat, ut res sacra non nisi sancte suscipiatur, honesteque tractetur: Hinc Parochorum diligens erit sollicitudo, ut populum doceant, de pio rectoque contractu, atque usu Matrimonii, de gratia Sacramenti (quæ in nomine Domini convenientibus confertur,) de bonis Matrimonii, Fide, Prole, ac Sacramento, ut sit honorabile in omnibus connubium, & thorus immaculatus.

6 Caveant diligenter Parochi, ne alibi quam in Ecclesia, quæ Sacramentorum dispensandorum proprius locus est, & inter Missarum solemniam, Matrimonio contrahendo assistant: in privatis vero ædibus aut Nobilium arcibus id neutiquam faciant, nisi ex licentia Nostri, vel Nostri in spiritualibus Vicarii, in scriptis obtenta.

7 Graviter monet Concilium Tridentinum (quod Nos etiam serio cupimus observari) ut, antequam contrahant conjuges, vel saltem triduo ante Matrimonii consummationem, peccata sua diligenter confiteantur, & ad sacratissimum Eucharistiæ Sacramentum reverenter accedant, ad majorem Dei gratiam & felicem eventum impetrandum; cuius rei curam Nos Parochis serio commendamus.

8 Cum experientiâ didicerimus, multos in prohibitis gradibus, præcedentibus temporibus, conjunctos, in statu peccati adhuc vivere, pro quorum salute merito sollicitudinem Nostri Episcopalem antehac sub decima quinta Septembris Anni 1627 publicato mandato interposuimus (quod iterum repetimus:) hinc volumus, ut omnes, in prohibitis gradibus Consanguinitatis aut Affinitatis cohabitantes, Pastoribus suis sese exhibeant, ipsi etiam Parochi in eos ac gradus eorum Consanguinitatis & Affinitatis inquirent, & si dispensatio aliqua prætexatur, hujus editionem postulent, ac rem totam cum circumstantiis omnibus ad Nos aut Nostri in spiritualibus Vicarium generalem pro remedio competenti referant, & ad conjunctionem, nisi declaratione à Nobis vel Vicario Nostro habita, non procedant; refractarios vero & contumaces ab ingressu Ecclesiæ arceant, aut aliis modis puniendos Nobis denuncient.

9 Quæ ad dignoscenda Matrimonii impedimenta, gradusque affinitatis ac cognationis, naturalis & spiritualis & legalis, item Iustitiæ, publicæ honestatis rationem ac reliqua obstacula Matrimonium impediencia aut dirimentia pertinent, Parochi diligenti lectione addiscant, & in dubiis nihil temere statuunt, sed alios doctiores, & potissimum Nos & Nostros

Ephes.  
5. v. 32.

d. sess. 24.  
c. 1.

d. loco

Conc. Tri-  
dent. sess.  
24. c. 1. de  
res. mat.

d. loco 1.

Gen. 2. n.  
22.

stros Commissarios consulant, nec aliquos scienter ad Sponsalia aut Matrimonium admittant, in gradibus à Iure prohibitis, aut tempore ab Ecclesia interdicto, nisi cum speciali dispensatione.

10 Volumus autem, tam in Matrimonio contrahendo, quam in conviviis nuptialibus, omnem honestatem observari, & omnia vana, ludicra, & ridicula, & alia prodigalitatis & lasciviæ ostentamenta (quæ sub prætextu nuptialis lætitiæ exorbitanter nimis & scandalose interdum committuntur) removeri.

Tob. 8.

Non enim decet Sanctorum filios conjugii sicuti gentes, quæ Deum ignorant.

Sess. 24. ca. 7. de ref.

11 De ignotis, peregrinis, & vagabundis, aut incertis sedes habentibus, id repetimus, quod in Concilio Tridentino statutum est. similiter ordinamus, ut absentem (de cuius morte non certo constat) alter conjugum non solum septennium, sed etiam ulterius ad arbitrium Iudicis, expectare, nec prius ad alias nuptias transire debeat, quam causa coram Nobis aut Nostro Officiali cognita, & licentia contrahendi in scriptis obtenta fuerit.

12 Quoniam vero libera esse debent Ma-

trimonia, & coactæ nuptiæ plerumque miserabiles exitus sortiuntur; monemus tam Parentes quam Dominos ac Tutores quoscunque, ne per vim aut metum suos filios aut subditos quovis modo directè vel indirectè ad hoc adigant, quo minus libera Matrimonia contrahant; sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda. Parochis quoque sub pœna privationis beneficii, aut suspensionis ab officio, prohibemus, ne hujusmodi nuptiis interfint.

13 Causæ omnes matrimoniales, & ab ipsis dependentes, ad solam Nostram vel Vicarii & Officialis Nostri cognitionem & decisionem pertinent, nec ullus alius Iudex, sive Ecclesiasticus sive Sæcularis, cujuscunque dignitatis, conditionis aut præminentiae fuerit, de Sponsalibus, Matrimonio, ejus impedimentis, de divortiiis, & aliis ab iisdem dependentibus & connexis causis, inquirere, cognoscere, judicare aut definire præsumat: sed eæ Nostro & prædictorum Nostrorum Officialium iudicio referentur.

ref. Can. multorum. 35. q. 6. c. 1. De consang. & affinit. c. accedentib. de excess. Pralat.

ca. in praesentia. & ibi Favor. de Sponsal. c. 2. de secunda. nupt. c. cum locum. & c. requisivit. de Sponsal. c. significavit. de eo qui duxit in matr. Concil. Trid. sess. 24. c. 9. de ref. matr. Concil. Trid. sess. 24. de Sac. matrim. Can. 12. c. c. 20. de



I N D E X C A P I T V M  
S E C V N D Æ P A R T I S .

- |   |   |
|---|---|
| CAP. I. De vita & honestate Clericorum.   | CAP. XII. De Ecclesiis, Capellis, Oratoriis, Altaribus, Hospitalibus, Sodalitatibus, seu Fraternitatibus, & aliis piis locis. |
| CAP. II. De Concubinato.  | CAP. XIII. De rebus Ecclesiæ conservandis & non alienandis.   |
| CAP. III. De Simonia.   | CAP. XIV. De Provisioribus Templorum & Fabricæ.   |
| CAP. IV. De Usuris.   | CAP. XV. De Immunitate Ecclesiastica.   |
| CAP. V. De Beneficiis, eorum Collationibus, seu jure Patronatus, Institutionibus, Resignationibus, & Permutationibus. | CAP. XVI. De Archivio Episcopali.   |
| CAP. VI. De Residentia Clericorum.  | CAP. XVII. De Examinatoribus.   |
| CAP. VII. De Prælatibus & Canonicis Ecclesiæ Cathedralis, & Collegiatarum.  | CAP. XVIII. Indices delegatos causarum Apostolicarum nominamus.   |
| CAP. VIII. De Archidiaconis.  | CAP. XIX. De Censore Librorum.  |
| CAP. IX. De Decanis Ruralibus.  | CAP. XX. De Penitentiario.  |
| CAP. X. De Parochis & Curatis.  |   |
| CAP. XI. De Testamentis Clericorum.   |   |

P A R S S E C V N D A .

CAP. I. De vita & honestate Clericorum.



Nil fere est, quod hoc sæculo tam sit exoptandum, quam ut ii, qui, in sortem Dei vocati, divina munera dispenfant, ac ministeriis Ecclesiasticis præficiuntur, vita & exemplo id præstent, quod Profes-

sione, statu, ac vocatione sua promittunt; ut in eos, tanquam in speculum, oculos suos conjicientes Laici, invenire possint, quod digne imitentur. hoc enim omnibus fere sæculis compertum fuit, pro Sacerdotum vita, benedictionem aut maledictionem à Deo in populum procedere, nec quicquam gravius Ecclesiæ aut Reip. accidere, aut illam vehementius affligere, quam si à Clericis Laici bonæ vitæ incitamenta & exempla petere non possint.

Quod gravissime olim deploravit S. Gregorius, & nos ipsius verbis repetimus: *Nullum, puto, Fratres charissimi, ab aliis majus præjudicium, quam à Sacerdotibus, tolerat Deus, quando eos, quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla pravitatis cernit: quando ipsi peccamus, qui conpevere peccata debemus, nulla animarum lucra quarimus, ad nostra quotidie studia vacamus, terrena concupiscimus, humanam gloriam intenta mente captamus; & quia eo ipso quo cæteris prælati sumus, ad agenda qualibet majorem licen-*

tiam habemus, susceptæ benedictionis ministerium vertimus ad ambitionis augmentum, Dei causas relinquimus, ad terrena negotia vacamus; locum sanctitatis accipimus, & terrenis actibus implicamur.

2 Hinc Nos, serio, ac sub obtestatione divini Iudicii, monemus omnes & singulos, ut, quo sunt in Ecclesia Dei digniore Loco & Ordine, eo vitam gerant inculpatiorem, statumque suum vitæ innocentia ac morum gravitate diligenter exornent.

3 Cum vero summa disciplinæ Christianæ in eo consistat, ut, abnegantes impietatem & sæcularia desideria, sobrie, pie, juste, vivamus in hoc sæculo; idque ad omnes universim Christianos pertineat; intelligunt facile Ecclesiastici qui cæteris in exemplum positi sunt, quid ad ipsos spectet, qua illos morum gravitate in sermone, gestu, incessu, quo in cultu & vestitu corporis moderatione & decentia, qua vitæ sanctioris innocentia, illos cæteris præstare oporteat. De quibus cum multa sparsim per SS. Canones, Concilium Tridentinum, Statuta Provincialia, & Nostri Prædecessoris Constitutiones Synodales tradita sint, illud Nos breviter hoc loco repetendum ducimus, quod de Clericali tonsura, deque vestitu, & victu frugali, in præcedenti Synodo Osnaburgensi statutum est; quibus Nos adjicimus, ut ne quispiam Clericorum posthac rugatis, acupictis, & nimium elaboratis collaribus utatur, sed planis, ac quæ commode & decenter super vestem reflecti possint.

D 4 Veste

Matth. 5.  
à v. 13.  
Ad Tit. 2.  
vers. 7. c.  
qualiter.  
De accusat. homil.  
in c. 10.  
Luca.

Ad Tit. 2.  
vers. 12.

c. 10.

*1 Tim. 2. Conc. Trident. sess. 24. c. 12. De reformatione variorum clericorum sub tit. De vita & honestate Clericorum extra. in 6. c. Clem. c. penult. De vita & honestate Clericorum. c. 2. eod. in 6. c. Clerici. De vita & honestate Clericorum.*

4 Veste omnes utantur honesta ac decen- te, ut materia, forma, colore, pretio ac omni modo respondeat, tum modestiæ ac dignitati Clericali, tum conditioni ac statui singulorum. in quo uti vanitatem, & affectatam mundi curiositatem, novâ levitatem ac nitorem, sic abjectionem & nimias fordes, exclusas volumus. In omni vestitu, præsertim externo color tantum niger adhibeatur.

5 In Civitatibus ac oppidis talari veste, in pagis aut villis brevioribus utantur. Itinerariæ vestes breviores non sunt, quin fimbria infra genua diffluat; nec domesticæ vestes & intrinsecæ colore aut habitus specie à domestica Clericali discrepent.

6 Quod de coma, barbis, ac alis barbarum, Prædecessor Noster mandavit, id nos iisdem verbis & eodem rigore observandum serio repetimus. cui pro clariore intellectu hoc ad- jicimus, & admittimus, ut Ecclesiastici vel brevem Romano, vel antiquo hujus patriæ more usque ad extremitates inferiores aurium defluentem comam gestare possint, planam non reflexam, nec calamistratam aut in cin- cinnos compositam, aut instar setarum elatam. Corona vero (insigne regalis Sacerdotii) con- spicua appareat, renoveturque in iis, qui brevi sunt capillitio, singulis quindenis; qui longiori, singulis mensibus.

7 Mensuram moderationem tum status Eccle- siastici ratio, tum præsens temporum necessi- tas, omnibus fere indicit; volumus tamen, hanc ab omnibus, pro conditionis qualitate, observari, ut non desit quod egentibus Christi membris, quibus id quod superest debetur, recte distribui possit.

8 Publicas & privatas commessationes, convivationes, longiores accubitus, ad æqua- les haustus provocationes, cum illæ omnes Christianos, & in primis Clericos, maxime de- deceant; omnes monitos volumus, ne his in- dulgeant, sed, quanta fieri potest frugalitate, concessis sibi à Deo donis utantur.

9 Si quando ad nuptias & alia convivia, gratia propinquitatis aut necessitudinis, invi- tentur, cæteris modestiæ, frugalitatis ac sobrietatis exemplo præeant; cauponas vero aut tabernas vitent, nisi in itinere constituti, necessitatis gratia; à choreis vero & mimicis seu jocularibus nugacitatibus ubique absti- neant; sicuti etiam à lusibus jure prohibitis, aleis, taxillis, gladiis, hastis, sclopis, & simili- bus; quemadmodum etiam à venationibus il- licitis & clamorosis.

10 Similiter, alienum est ab instituto Cleri- corum, ut, quæstus gratia, mercaturæ, nego- tiationes, alienæ rei procuraciones, Advoca- tiones, nisi pro Ecclesia, necessariis, & mise- rabilibus personis, actiones, causarum præser- tim apud Iudices Sæculares, Notariatus, & Tabellionatus, officia prophana, artem me-

*Can. pro- hib. c. 6. Can. Cle- rici. dist. 23. Can. duo sunt. 12. q. 1. d. c. Clerici. Ad Philip. 3. v. 19. c. à crapula. De vita & honestate Clericorum.*

*dist. 44. per 101. Conc. Tri- dent. sess. 24. c. 12. de refor- matione. c. Clericorum. Trident. Conc. sess. 22. c. 1. de refor- matione. Qui venator. c. seqq. dist. 86. tot. tit. De Clericorum venator. c. 1. c. 2. c. secundum.*

dendi, aut cauponandi vilitatem, exerceant- quæ omnia, tanquam à jure reprobata, malo- rum irritamenta, Clericis prohibita esse vo- lumus.

11 Et generaliter quæcunque à sacris Ca- nonibus, & præsertim Concilii Tridentini, de vita & honestate modestiæque Clericorum conservanda, deque criminibus ac superflui- tatibus quibuscunque vitandis, salubriter con- stituta sunt; ea sub iisdem pœnis repetita, & omnibus pro debita observantia serio com- mendata & inculcata esse volumus.

*Ne Cler. vel Mo- nach. tot. tit. De po- sulando. c. sicut. Ne Cler. vel Monach. c. senten- tiam, eod. tit.*

C A P. II. De Concubinato.

I Mmundum & damnabilem Concubi- natum, quo nihil magis ab honestate Clericorum, & Ministrorum Christi Virginis Filii, alienum est, post serias Prædecessoris Nostri Synodales Constitutiones, & Nostras subsecutas diversas mandatorum insinuationes & monitiones, Nos iterum, hoc Decreto Nostro, execramur, damnamus, & profligamus. & ad superabundantem cautelam, & pro tollenda omni ulteriore excusatione, omnibus notum hæc facimus, Nos nemini hoc in cri- mine parcituros, sed posthac simpliciter & de plano, ad privationem beneficiorum, & se- riam ac publicam executionem, contra auto- res, complices & fœdas amasias ac focarias, ubicunque locorum processuros. quam rem iterum Vicario Nostro in Spiritualibus gene- rali, & quos ipse pro Executione requisierit, serio injungimus.

*c. 8. De Concubina.*

2 Quæ de prolibus, ex fœdo Concubinato susceptis, earumque cum Parentibus Clericis cohabitatione, à Prædecessore Nostro Cardi- nale Zollerano decreta sunt, hæc de verbo ad verbum repetimus, & serio observari volumus. Similiter vetamus, ne Clerici Parentes, in Baptismo, Sponsalibus, Nuptiis, Exequiis, aut similibus actibus publicis suorum illegiti- me natorum, ullo modo interfint, nec in pu- blico facile cum iis compareant, aut eos in plateis circumducant; quos certe videre ac nominare non possunt, nisi in pœnam & infamiam.

*c. 8.*

3 Concubinarios vero ad minus dietam unam à cohabitatione suarum cum quibus peccavere & vixere, relegari volumus; & omnem prorsus cum ipsis conversationem, sub pœnis privationis beneficiorum, aut alias pro qualitate delicti arbitrarie infligendis, prohibemus.

4 Similiter etiam huc repetimus, tam quæ in sacris Canonibus & Conciliis Provincialibus, quam à Prædecessore Nostro, de illegiti- mis Clericorum Liberis ad hæreditates, dona- tiones, & fructus beneficiorum percipiendos, non admittendis, salubriter statuta sunt.

*d. c. 8. §. 3.*

C A P. III. De Simonia.

**I** Simonia grave ac detestabile crimen, quod tamen frequens in hac Dioecesi Nostra fuisse deprehendimus, Nos, cum ipso autore, tam ex Constitutione Canonum, quam legum civilium, damnatum ac reprobatum, sub iisdem poenis, à sacris Canonibus comprehensis, in Dioecesi Nostra prohibemus ac damnamus; & in hoc omnem severitatem legum ac præcedentium Constitutionum Prædecessoris Nostri renovamus & confirmamus.

*Causa I. q. 1. per tot. tit. De Simonia. L. si quinquam 31. De Episc. & Cler. Nov. vol. 123.*

*2. Sed neque Clericum. Et quidem apud gentes am-bitus qua-*

*sio fuit contra Sacerdotium petentem. L. 1. Ad L. iul. De ambitu. Conc. Trident. sess. 24. c. 12. de refor. Constit. Pi V. incip. Durum nimis, edita Anno 1570.*

C A P. IV. De Usuris.

**P**opularis frequentia, criminis usurarum ipsius foeditatem & enormitatem ex animis hominum poene delevit adeo, ut etiam verendum sit, ne spes dolosi lucri interdum multos decipiat, ac in salutis suæ præcipitia deducat. Ut tamen, quantum in Nobis est, ex omni hominum ordine hujus criminis contagio eliminetur; præsentis decreto prohibemus ac damnamus omnes contractus usurarios, sive in mutuo sive in emptionibus annuorum censuum ac reddituum, & excessu pensionum seu præstationum, seu quocunque alio modo, à jure reprobato, contingant; & tam contra usurarios quam usurarum proxenetas, ministros, contractuum scribas & Notarios, præter censuras Ecclesiasticas, privationem scilicet Communionis & sepulturæ, ac restitutionem justam, arbitrariis poenis procedemus.

*c. 3. de Usuris.*

2 Hortamur vero omnes Ecclesiarum Parochos, Concionatores, Confessarios, & alios curam animarum habentes, præsertim in celebrionibus Dioecesis Nostræ Civitatibus & oppidis, ut de hoc pernicioso crimine ex Canonibus & probatis libris & autoribus se ipsos diligenter informent, ac populum sibi commissum doceant, quid in hujusmodi contractibus licitum, quid vero prohibitum ac cavendum sit.

3 Ut vero poenam in Usurarios à jure statutam omnes agnoscant, repetenda ad verbum visa fuit Constitutio in Lateranensi Concilio edita, quæ sic habet:

*c. 3. de Usuris.*

*Quia in omnibus fere locis crimen Usurarum invaluit, ut multi, aliis negotiis prætermisissis, quasi licite Usuras exerceant, & qualiter iurisque Te-*

*stamenti pagina condemnentur, nequaquam attendant; ideo constituimus, quod Usurarii manifesti, nec ad Communionem admittantur Altaris, nec Christianam (si in hoc peccato decesserint) accipiant sepulturam; sed nec oblationes eorum quicquam accipiat; qui autem acceperit, vel Christianam tradiderit sepulturæ, & quæ acceperit reddere compellatur, & donec ad arbitrium Episcopi sui satisfaciatur, ab officii sui maneat executione suspensus.*

C A P. V. De Beneficiis, eorum Collationibus, seu Iure Patronatus, Institutionibus, Resignationibus, & Permutationibus.

**I**psa rerum magistra experientia loquitur, nihil ita Ecclesiæ obesse, quam quod ipsa suis stipendiis, quæ benignitate Sponsi sui, & Christi fidelium liberalitate, obtinet, & ex Christi ærario elargitur, idoneos ministros, & digne sibi servientes invenire non possit, sed illa sæpe depeculentur ignavi ventres, Beneficiorum Ecclesiasticos redditus usurpantes, non tanquam publica Officiorum stipendia & virtutum merita, sed tanquam privata commercia atque compendia nundinantes. Quæ res merito curam Nostram Episcopalem excitat, ut diligentius de remediis in communi calamitate cogitare, ac providere debeamus, ne, pro utilibus & maxime necessariis Ecclesiæ Ministris, rudes pueri, aut alias ætate, scientia, moribus inepti, extremo Ecclesiæ exitio, & tam conferentium quam acceptantium periculo, intrudantur, sed ut omnia, hac in parte, recto modo & ordine procedant.

2 In primis autem, cum longo abusu & deploranda corruptela præcedentium temporum irreplevit, quod Patroni, præsertim Laici, qui Ius nominandi vel præsentandi habuerunt, nimis libere, ac contra Iuris rationem ac primævas Institutiones ac Foundationes, de Beneficiis Iuris patronatus, tanquam de familiaris Patrimonii ac privati juris bonis, hæcenus fere disposuerint, sine ulla fere distinctione ætatis, ordinis, ac qualitatum de jure necessariorum: scire Patronos omnes volumus, illis jure patronatus ex præscripto Canonum & Concilii Tridentini, ita moderate prudenterque utendum esse, ut neminem pro suo arbitrio violenter intrudant, sed ad beneficia idoneos, ætate, scientia, vita ac moribus præsentent; aut non ægre ferant, si præsentati inutiles, jure à Nobis repellantur; cum ex jure patronatus aliud illis nihil competat, quam potestas præsentandi Episcopo, aut illi qui Ius instituendi habet, Clericum idoneum ad beneficium vacans.

*c. pia mentis. cum seq. 16. q. 7. c. præterea & parum tot. tit. De jure patr. Conc. Trident. sess. 14. c. 12. & sess. 25. c. 9. de reform.*

3 Illud etiam Patronis, cujuscunque ordinis ac dignitatis sint, observandum ex Canonibus & Concilio Tridentino præcipimus, ut



*sup. alleg.*

in beneficiorum bona, aut perceptiones fructuum, proventuum, obventionum, quorumcunque beneficiorum, etiam si vere de jure Patronatus ipsorum, & Fundatione & dotatione Parentum ipsorum & majorum sint, nullatenus nullave causa vel occasione sese ingerant, sed illos libere Rectori seu Beneficiario, non obstante quacunque corruptela præcedentium temporum, distribuendos dimittant, sub pena privationis juris patronatus.

4 Qui hæcenus ex Patronis Laicis, corrupto temporum abusu, beneficiorum, quorum Catholici ipsorum majores, pii Fundatores fuerunt, redditus suppresserunt, aut ad se traxerunt, aut in alios vius converterunt, momentur serio, ut quam primum omnia in pristinum statum restituant, aut Nostram seriam executionem expectent.

5 Quod ipsum etiam omnibus Magistratibus, communitatibus, universitatibus, ac quibuscunque aliis hominibus utriusque status, siue in publica potestate constitutis siue privatis, sub arbitraria Nobis pena serio injungimus.

6 Cum vero Nominatio, Præsentatio, Collatio, seu electio, gradus primus & accessus sit ad Beneficia; in quo periculose per sæpe peccatur, dum sine discrimine ac certa electione, ex affectuum aut precum importunitate magis, quam virtutum merito, proceditur: Nos ad mala quæ hinc oriri solent evitanda, in ipso statim principio hoc cavemus, ut, citra ullam dissimulationem aut interpretationem, nullus ad quodlibet beneficium seu ministerium Ecclesiasticum admittatur, qui non ætatem, scientiam, mores, Ordines beneficio pares adferat, prout istud tenor Fundationis & obligationis requirit.

7 Volumus enim ante omnia, ut Fundationum piarum qualitates, ab ipsis Fundatoribus expressæ, exactissime observentur; uti si Cappellania etiam simplex, aliudve beneficium, etiam juris patronatus, ex præscripto erectionis & Fundationis aut alterius Constitutionis, certum ordinem aut alias condiciones requirit in eo, cui vel collationis vel institutionis vel alio nomine de ipso est providendum, illud beneficium ne cuiquam conferatur, etiam Patronorum accedente consensu, qui vere eo Ordine non sit initiatus, aut in ea ætate constitutus, ut infra tempus, à Iure statutum, initiari valeat, neque qui iis conditionibus præditus non sit, quas illa erectio, Fundatio vel Constitutio requirit. in quo verba mentemque Fundatorum exacte observari volumus, quæve actum in Ordinibus sacris inducant ac requirant, quæve aptitudinem seu habitudinem admittant, ne quid contra Ius & voluntatem Fundatorum temere committatur.

8 Qui vero beneficium qualescunque affectus est, ejus Titulum & Fundationem, etiam non monitus, intra mensem Nobis aut Nostrò

in Spiritualibus Vicario ostendat; quod si non fecerit, dimidia parte fructuum ac proventuum unius anni mulctetur; nec minus omnimodo titulum exhibere cogatur; qui iidem tituli ac Fundationes, quotiescunque id à Nobis, aut Nostrò in Spiritualibus Vicario, requisitum fuerit, à quolibet sine ulla cunctatione offerantur.

9 Intelligimus autem, multa esse per Diocesim Nostram Beneficia, quorum Fundationes atque Institutiones jam perditæ aut obliteratæ sunt, eorum vero fructus & obventiones sæpe ab ignavis hominibus, sine ulla obsequii Ecclesiastici præstatione usurpantur. cui incommodo ut, quantum in Nobis est, occurratur, volumus ut Pastores & Curati Decretum Concilii Tridentini populo proponant, isque intelligere possit, quam sit facinus enorme & grave, Christi patrimonium & Ministrorum Ecclesiæ alimoniam injuste possidere. Quæ vero prædicti Curati aut alii Prælati & Ecclesiarum Rectores, ac quicumque Ecclesiastici & Laici animadverterint in hoc genere remedio indigere, ea diligenter notata ad Nos vel Vicarium Nostrum in Spiritualibus referant, ut Nos ex Officio Nostrò Episcopali pristina officia restituere, sique non satis aliunde constare possit qualia illa esse debeant, Nos pro ratione fructuum, onera, Missas, divinaque officia celebrandi iis imponere, aut, ubi Capellæ seu loca pia extincta sunt, secundum Canonicas functiones beneficia & eorum titulos transferre possimus.

10 Extra omne dubium est, eos, qui hujusmodi Beneficiorum fructus & emolumenta hæcenus sine ullius servitii divini exhibitione perceperint, ad perceptorum fructuum restitutionem teneri, nec aliter in foro conscientie tutos esse. Hinc Nos omnibus & singulis sub arbitraria Nobis pena injungimus, ne ullo modo perceptioni fructuum sese immisceant, antequam Fundationis tenorem sciant, illique satisfaciant, ac Nostrum desuper arbitrium ac consensum requirant. De perceptis vero ita constituturi sumus, ut & Ecclesiæ læsæ satisfiat, & conscientie, receptione indebitorum gravatæ, exonerentur.

11 Interdicimus vero iis, qui Ius habent conferendi Beneficia, seu ad ea eligendi, nominandi, præsentandi, ne vel ipsi vel eorum Ministri, familiares, aut Officiati, quicumque ab aliquo, cui Beneficium Ecclesiasticum conferatur, sub quolibet prætextu aliquid tale capiant, quod pallio gratitudinis involvatur, revera autem speciem Simonie & injustæ & avaræ acceptationis habeat; quia sub illo velo multa latent, quæ hominibus quidem obsecrantur, oculos vero Dei non fugiunt, & Simoniacæ subjacent pravitati.

12 Iniquæ etiam ac sacris Canonibus contrariæ & prohibitæ pactiones ac condiciones non

*c. 1. De  
reg. juris  
in 6.*

*Sess. 22.  
c. 10. de  
refor.*

non ineantur, neque resignationes, præsertim in favorem, cessiones, translationes, ac permutationes, aliter, nec coram aliis, quam jure id licitum est, permittantur.

13 Monemus vero & obtestamur omnes Patronos, Collatores, & Prælatos, vel ad quoscunque provisio Beneficiorum pertinet, ne illi in suos consanguineos, familiares, ministeriales, beneficia ita conferant, ut illa, tanquam operæ & laboris prætia, aut consanguinitatis aut propinquitatis jura accepisse videantur, sed ut omnes humani affectus, qui quæ sua sunt quaerunt, non quæ Jesu Christi, ab hujusmodi suffragiis & beneficiorum collatione separentur.

14 Neminem verò præsentatum, vel nominatum, vel electum, vel ab inferioribus provisum, prius ad Beneficium admittendum vel instituendum ducimus, quam is, præter professionem Catholicæ Fidei, coram Nobis aut Nostro Vicario in Spiritualibus, aut iis quibus id competit, factam, infra scriptum quoque juramentum prætet.

Ego N. N. juro & promitto Obedientiam & Reverentiam Illustrissimo & Reverendissimo Domino Meo Episcopo Osnabrugensi & Successoribus ejus canonice intransitibus, quod Beneficio, ad quod institui peto, secundum oneris annexi exigentiam fideliter deserviam, atque ab eo sine ejusdem Domini Episcopi aut Vicarii ejus licentia non discedam, Res, Bona, & Jura Ecclesiæ, & Beneficii, nullatenus alienabo, & indebite alienata, quantum in me erit, fideliter recuperare studebo. Sic me Deus &c.

15 Quia vero per annos gratiæ seu expectantiarum ut vocant, ac alias præstationum impositiones, ac portionum detractiones, multum divinis officiis detrahitur, & ut consulari defuncto, aut ejus hæredes persæpe dentur, aut Ecclesiæ fabricæ aliquid accedat, Deus ipse negligitur, & defuncti, Beneficiorumque Fundatores, multarum personarum suffragiis ac intercessionibus, multis quandoque annis fraudantur; ideo maturo consilio, cum præcitu Venerabilis Capituli Nostri, tantæ deformitati Ecclesiæ occurrere studebimus, ne, cum fraude divini servitii, ac Fundatorum piæ intentionis, officia Ecclesiastica tanto tempore deserantur.

C A P. VI. De Residentia Clericorum.

1 S Ciant omnes, qui divinis mancipati sunt officiis, & Ecclesiasticos redditus percipiunt, se ideo de Altari vivere, & populi

peccata comedere, ut, officium Ecclesiasticum strenue ac pure peragendo, totius generis humani causam in se suscipiant, ac congemiscant Ecclesiæ vota, preces, ac laudes Deo offerant.

2 Ideoque omnibus, Beneficia vel officia Ecclesiastica, & ex iis redditus & obventiones, in Nostri Diocesi obtinentibus, quibus personale in Ecclesia obsequium est annexum, illud incumbit, ut in Ecclesia & officio divino sint assidui, nec sine causa aliqua singulari ac probata, & scitu suorum Superiorum, se absentent.

3 In primis vero omnibus Parochis, Plebanis, & curam animarum gerentibus mandamus atque præcipimus, ut ovis, sibi à Deo commissis, in propria Ecclesia residendo præfint, ut ex divino præcepto eas agnoscere, verbo doctrinæ, & vitæ exemplo, & SS. Sacramentorum administratione pascere, & quæ bonum ac legitimum Pastorem decent, munia pastoralia debite exercere possint, nec oves, metu periculi, vel pestis tempore, aut sub prætextu aliorum negotiorum, deserant, aut ad mensam absint, sine Nostri aut Nostri in Spiritualibus Vicarii licentia, nec non idoneo ac approbato Vicario cum debita mercedis assignatione constituto.

4 Hanc in residendo assiduitatem, Ecclesiarum Decani, Scholastici, Cantores, Custodes, aut qui similibus dignitatibus beneficia habent, quos majores Nostri tanquam moderatores & inspectores Ecclesiasticæ disciplinæ esse voluerunt, serio præstare tenentur, ut ii non facile nec nisi ad breve tempus abesse possint, aut si diutius abesse necesse fuerit, id speciali Nostri licentia & non aliter fiat.

5 Repetimus præterea, ac omnibus observanda injungimus, quæ rec. mem. Prædecessor Noster in proxima Synodo Osnabrugensi generaliter hac de re statuit. quibus ad evidentiorum noticiam adjungenda existimamus, ut, quorum foundationes personalem residentiam requirunt, illi ipsi resideant, aut, si neglexerint, de facto à proventuum perceptione suspensi sint, & adversum eos, ex sacrorum Canonum & Concilii Tridentini præscripto, procedatur; nec valeant dispensationes, collusiones aut dissimulationes, de non residendo, aut fructibus in absentia percipiendis.

C A P. VII. De Prælati & Canonicis Ecclesiæ Cathedralis, & Collegiarum.

1 E Cclesiasticæ disciplinæ retinendæ & conservandæ causâ, Ecclesiarum dignitates sunt constitutæ; quibus etiam, pro merito laborum & amplioris curæ, majora stipendia sunt assignata; quæ certe non recte usurpabunt, nisi labore, ministerio, atque industria respondeant, ac divinum cultum promovere, Ecclesiasticam disciplinam conser-

Conc. Trident. sess. 24. c. 2. de refor.

Conc. Trident. sess. 6. c. 1. c. 2. c. 23. c. 1. de refor.

Conc. Trident. sess. 21. c. 3. de refor.

c. 7.

c. conquer. c. ex parte c. in. qual. c. c. penul. c. ult. De Cler. non res. c. fin. De rescript. in 6. Conc. Trident. sess. 21. c. 3. De refor.

c. ad hoc. De Clericis non resid.

servare, ac Nos opera & officio juvare studeant.

*c. quamvis de verb. sig. in multu. dist. 60.*

2 Præpositi, tanquam præcipui Ecclesiarum Prælati, illud diligenter curent, ut Res, Bona, Iura, & Privilegia Ecclesiarum suarum defendant, ab omni injuria, damno & molestia vindicent ac conservent, eaque provideant ac procurent, quæ ad Ecclesiarum (à quibus dignitates ac stipendia majora percipiunt) defensionem, pacem, & tranquillitatem spectant; ut tanquam fideles servi, quos constituit Dominus super familiam suam, à magno Patrefamilias agnoscantur.

*c. 12.*

3 Decanos quoque officii sui admonuit præcedenti Synodo Antecessor Noster, quæ Nos huc repetimus. & cum ipsis singulariter ex officio illa commendata esse debeant, quæ circa ministeria Ecclesiæ, & Ecclesiasticarum Personarum vitam, Chorique ac Capituli disciplinam, excessus ac correctionem, desiderantur; merito ab illis requirimus, ut omnia, quæ ad honestatem & vitam bonam omnium Canonicorum, Vicariorum, Clericorum, ac ministerialium Ecclesiæ suæ pertinent, ea diligenter ab omnibus & singulis observari curent. Quod ut majori cum fructu fiat, vita ac moribus ita compositi sint Decani ut alios ad imitationem provocent, talique scientia ac peritia præditi ut aliis recte possint consulere. Ut vero hæc in re bene sancteque ab ipsis procedatur, antiquum illud Capitularis disciplinæ jus, in vetustis Ecclesiæ codicibus fere obliteratum, in usum revocent, ac sollicitudine sua monitisque sanctis procurent, ut omnes ipsis subiecti vitam ducant suo statu ac ordine dignam.

4 Cum vero neutiquam conveniat, ut jurgia litesque inter illos versentur, quos tanquam fratres in domo Dei unanimes ambulare oportet; omnino advigilent, ut, si quam ortam inter Clericos Collegii sui controversiam animadvertant, eam in ipsis statim principiis sopire studeant; graviores vero emergentes excessus, aut contumaciam, aut insolentias majores (præsertim si in publicum prodeant) pro remedio competenti ad Nos referant.

5 Cum vero officium Decani curam habeat animarum annexam; Nolumus, ut quisquam ullis Decanalibus functionibus sese immisceat, nisi confirmatione à Nobis prius petita & accepta.

6 Qui præter Decanos dignitates & officia in Cathedrali & Collegiatis Ecclesiis obtinent, diligenter curent, ut suis officiis secundum Canones & cujusque Ecclesiæ consuetudinem faciant satis.

7 Si quæ Præbendæ Canonicales certum habeant annexum Ordinem, illud possessores curare debent, ut Ordinem illum suscipiant, & oneri annexo satisfaciant, neque onus in alios rejiciant, nisi approbatis foundationibus aliter sit constitutum.

8 Vicarii, quos vocant Chori, nomini suo respondeant, ac Canonici in persolvendis officiis divinis auxilio sint; & omnia illis incumbentia onera ex fundatione vel consuetudine Collegii assidue ac religiose persolvant.

#### C A P. VIII. De Archidiaconis.

1 Archidiaconi cum functionibus & officio Nobis conjuncti, ac in partem sollicitudinis Nostræ Episcopalis vocati sint, adeoque à Canonibus Oculi Episcopi, ejusque Vicarii aliquando vocentur, quod Episcopi ministri sint, & ea omnia, quæ exercent, ad Episcopum pertineant: hinc illos in Domino monemus, ut pro data sibi commissione strenue nos adjuvent, recteque suo officio fungantur, nec supra concessam jurisdictionem sese efferant. ac repetimus ea, quæ à recol. mem. Prædecessore Nostro de Commissariis ipsorum, deque multarum exactiōne & conversione in usus pios, ex Canonibus & Concilio Tridentino sunt mandata.

2 Cum etiam hæc animadversum sit, in Synodis Archidiaconalibus interdum magnam infrugalitatem exerceri, cum non exiguo gravamine Ecclesiarum ac Pastorum: Volimus, in his actionibus eam moderationem adhiberi, ne, dum aliorum correctio suscipitur, talia admittantur, quæ alios lædere & emendatione digna esse judicari possint.

#### C A P. IX. De Decanis Ruralibus.

1 Dicecesis Nostræ amplitudo, ac mole tanta negotiorum, præsertim red-euntibus vicinis Regionibus, eam necessitatem Nobis imponit, ut ad facilem magisque securam sollicitudinis Nostræ Episcopalis explicationem, remedia atque subsidia opportuna & subordinata adhibeamus. Quamobrem visum est Nobis, exemplo aliorum bene constitutorum Episcopatum per superiorem & inferiorem Germaniam, & præsertim Ecclesiæ Metropolitanæ Colonienfis, Episcopatum Nostrum & vicinas Regionem, Jurisdictioni Nostræ diocesanæ subiectas, in certas regiunculas dividere, eisque certum aliquem Pastorem præficere, quem vulgo Decanum Ruralem appellant, qui supra alios Pastores majorem Auctoritatem ac Jurisdictionem obtineat, in vitam ac mores eorum, & an suo muneri & officio divino per omnia satisfaciant, item in pia loca, res, ac Iura Ecclesiastica, diligenter attendat, ac Nos, & Vicarium Nostrum, in cura tam ampla, subsidiaria opera sua adjuvet & sublevet. Quod ut majori Ecclesiæ bono fiat, curabimus, ut deinceps regiones hujusmodi, prudenti consilio distinguantur ac describantur, leges certæ hujusmodi Decanis ruralibus den-

*c. I. & c. ad hæc & tot. tit. De offic. Archidiaconis.*

*argumento c. inter cat. & c. relatum 10. q. 1. c. cum An. postolum. De Consensibus. & c. I. §. procurat. eod. tit. in 6.*

dentur, ac ei muneri quam maxime idonei præficiantur.

C A P. X. De Parochis & Curatis.

**I** C Vm salus & incolumitas Christiani gregis à Pastoribus, aliisque, quibus animarum cura commissa est, dependeat, qui tanquam cooperatores in partem sollicitudinis Episcopalis assumpti sunt; eapropter magno opere Nobis providendum est, ut, quod humano ore dicuntur, illud in oculis Dei esse inveniatur; ut scilicet vere digni sint & idonei, quibus animarum cura tuto credatur, ut ipsi forma gregis facti ex animo eundem pabulo Verbi Dei & Sacramentorum pascant, ac in viam dirigant salutis æternæ.

I Petr. 5.

**2** In quo etsi temporis successu sperare ampliora quam ab initio statim præstare possumus, quando per Dei gratiam Seminarium Pastorale, à Nobis erigendum, maturos fructus fecerit; omnem tamen quantum in Nobis est curam interim adhibentes, monemus in primis omnes & singulos, qui quomodocumque in sordibus impuræ vitæ hæcenus hæserunt, ut omnem huiusmodi labem, & vel minimam etiam suspensionem, posthac bonæ vitæ exemplo à se avertant, eaque vitæ integritate cæteris præluere studeant, ut reliqui, ad eorum exemplum conformati, pietatis, justitiæ, integritatis, sobrietatis, & Christianæ disciplina perfectionem sectentur.

**3** Sciant vero in primis Pastores, Curati, ac Rectores Ecclesiarum, se ex divino præcepto ad assiduam apud oves suas residentiam, & ad debita Pastoralis suæ sollicitudinis officia exhibenda, obligatos esse; itaque inviolabiliter observent, quod supra, Capite sexto de Residentia, insinuatum est.

**4** Ac quidem, cum ipsi, Ecclesiæ ac populi Dei, curam habere debeant, primum domui suæ bene præesse studeant, ut nihil in ea sit, quod non pietatem, Dei zelum, frugalitatem & omnem honestatem sapiat.

**5** Deinde frequenter domos Parochiæ suæ obeant ac perlustrent, ægrotos invisant, pauperum, viduarum, pupillarum, & aliarum miserabilium personarum curam in se suscipiant, iras & inimicitias suorum Parochianorum componant; publica blasphemiarum, adulterii, concubinatus, fornicationis, usurarum, & similia scandalosa crimina, quæ ad cognitionem & correctionem Ecclesiæ pertinent, seria gravique commonitione atque interpositione corrigere studeant; & ubi monitione sua non profecerint, Nos, & Officiales Nostros, ad coercendos & puniendos pertinaces, implorent.

Supra p. 1.

6. 10.

**6** Conciones statim Festis ac Dominicis diebus diligenter habeant; Festos dies & jejunia, & quæ alias publice denuncianda sunt, po-

pulo diligenter post Concionem significant. **7** Missas frequenter ac devote celebrent, habita præcipua ratione foundationum & piarum consuetudinum; populumque moncant, ut iis religiose intersit.

**8** Funebria iusta pie ac fideliter persolvant; & si qua in conviviis funebribus superflue ac immodice fieri hæcenus animadvertant, illa tollere studeant, aut Nobis denuncient.

**9** Ecclesiam, & quæ ad ejus cultum & nitorem pertinent, diligenter curent; & si quid reparandum aut sarcendum, illud tempestive provideant.

**10** Reliquias Sanctorum, vestes sacras, libros, calices, patenas, corporalia, & reliqua ejus generis Ecclesiastica instrumenta & ornamenta, ad Altaris ministerium pertinentia, sollicitè procurent, asservent & custodiant.

**11** A nimia Laicorum familiaritate caveant, magis vero à conviviis, tabernis, comotationibus & à sordibus & avaritiæ nota, quæ vilipendium generant.

**12** Denique, cum multa, quæ in variis titulis hujus Nostræ Synodi, de officio divino, administratione Sacramentorum, matrimonialibus denunciationibus, ornatu & cura templorum, & similibus hinc inde constituta sunt & definita, Parochos, eorumque curam & officium concernant: volumus & serio iis præcipimus, ut ea omnia ipsimet integre præsentent, & ab aliis observari faciant & procurent.

**13** Repetimus præterea & confirmamus, quod de Parochorum variis ministeriis & ad illa pertinentibus, de peregrinis, vagis & ignotis Clericis ad celebrationem & administrationem Sacramentorum sine Nostra aut Vicarii Nostri licentia non admittendis; sicuti etiam de libris Baptismali, Matrimoniali & descriptorio vicinitatum ac familiarum, à Prædecessore Nostro rec. mem. in Synodo ordinata sunt.

6. 15. 16.

17. 18.

20. 21.

22. 23.

24. & 25.

**14** Volumus etiam & mandamus, ut omnes Ecclesiarum Parochialium Rectores, cum ad Pastoratus possessionem admittuntur, ultra professionem Fidei, etiam subsequens juramentum coram Vicario Nostro præstent.

Ego N. N. juro & promitto Obedientiam, Reverentiam, & Honorem Summo Pontifici Romano, ac Reverendissimo Domino Episcopo Osna-brugensi N. eorundemque Successoribus.

Item juro & promitto, quod Ecclesiæ meæ Parochiali N. fideliter deserviam, secundum oneris eidem annexi exigentiam, & in ea personaliter residebo.

Bona Pastoratus vel Ecclesiæ meæ

D 4

non

non alienabo, & male alienata, quantum in me erit, recuperare studebo.

Specificationem omnium fructuum Pasto-  
ratus, cum debita designatione hypo-  
thecarum, limitum, & terminorum,  
intra trimestre, Reverendissimo Episco-  
po aut ejus Vicario tradam.

Non deseram aut resignabo Eccle-  
siam, mihi commissam, neque alio me  
transferam, sine consensu Episcopi aut  
ejus Vicarii.

Fructus anni, in quo me mori aut  
Ecclesiam dimittere contigerit, subji-  
cio & obligo ad deservituram, usque ad  
proximam sementem, mortem aut di-  
missionem meam proxime subsequutu-  
ram. Sic me Deus &c.

#### C A P. XI. De Testamentis Clericorum.

<sup>1</sup> c. cum  
in offic. De  
testam. &  
ali. vol.

**I** Cvm in officii <sup>1</sup> charitatis ac piæ re-  
munerationis, primo loco illis te-  
neamur obnoxii, à quibus beneficium nos co-  
gnoscimus recepisse; facile intelligunt omnes  
Ecclesiarum Nostrarum Clerici & Beneficiati,  
qui de Ecclesiæ stipendiis ac redditibus vivunt,  
ut de iis, quæ & justa suarum rerum dispensa-  
tione supersunt, in supremæ voluntatis decla-  
ratione non ex carnali affectione sed pro Ec-  
clesiæ Dei utilitate <sup>2</sup> disponant. Licet enim,  
refrigescente charitate, & cupiditate ac cura  
carnis succrescente, paulatim irrepsisse videat-  
ur, ut Clerici etiam de acquisitis per Eccle-  
siam testentur; attamen magno salutis periculo  
conjunctum est, ut, mox ad Tribunal Christi  
rapiendi, deque omnibus usque ad extremum  
quadrantem rationem reddituri, carnem &  
sanguinem Christo & ejus Ecclesiæ ac pau-  
peribus præponant; magis vero securum, vo-  
luntati & gloriæ divinæ, rationi & animarum  
saluti consentaneum, ut, quæ ipsis ex patri-  
monio Christi & bonis Ecclesiasticis (quo-  
rum Procuratores, <sup>3</sup> Administratores ac dis-  
pensatores dicuntur & sunt) post honestam  
ipsorum sustentationem supersunt, ea in pios  
usus convertant, ac in cælum præmittant, in  
thesauris cælestibus invenienda, & præsertim  
Ecclesiarum (quibus adscripti sunt) pauperum,  
aliarumque piarum causarum rationem ha-  
beant; ne, dum forte consanguineos suos ex  
bonis Ecclesiasticis temporaliter locupletare  
contendunt, rectum charitatis & obligacionis  
ordinem invertant, & sibi aliisque damnationem  
acquirant.

<sup>2</sup> Inter cætera vero pia loca vehementer  
commendamus omnibus, testari volentibus, Se-  
minarium nostrum Pastorum, quod pro Dice-

cesis Nostræ necessitate & utilitate erigere  
meditamur, ut supra parte 1, c. 6, de Semi-  
nario monuimus; ad quod omnes, pro modo  
facultatum suarum, aliquid relinquent. Quod  
si ab aliquo neglectum fuerit, illud Executores  
ex hæreditate supplere tenebuntur.

<sup>3</sup> Quoniam vero in voluntatibus extremis,  
præsertim ad pias causas tendentibus, Episco-  
pus supremus est quasi Executor, cui provi-  
dendum est ut secundum defuncti desiderium  
omnia fideliter fiant, ac non raro contingit, ut  
tam Clericorum quam Laicorum testamenta  
& extremæ voluntates, & præsertim ad loca  
sacra & pios usus legata & testata, dolosis  
machinationibus varie impediuntur & retar-  
dentur: Hinc universis Nostræ Diocesis tam  
Ecclesiastici quam Politici status hominibus  
gravissime, & sub Canonicis Censuris ac pœ-  
nis, præcipimus & mandamus, ne quarumcum-  
que personarum, quos jura à Testamenti fa-  
ctione non repellunt, Testamenta, Codicillos,  
Legata, ac alias legitimas voluntatis declara-  
tiones, præsertim ad pios usus sese extenden-  
tes, earumque executiones, quovis modo ne-  
gligant, impediunt, aut retardent.

<sup>4</sup> Qui in Clericorum Testamentis Execu-  
tores deputantur, sive Clerici sive sæculares  
fuerint, præmissa eorum exhibitione & appro-  
batione, ab Officiario Curiæ Nostræ Episcopa-  
lis factæ, fideles sint ac diligentes in exequen-  
do. Legata omnia, præsertim ad pias causas,  
statim persolvant, & intra annum Testamen-  
tum executioni mandent, Nobisque vel Vica-  
rio Nostrò, ad Nostram vel ejus requisitionem,  
de omnibus & singulis rationem reddant; nisi  
res ad judicium seu contentiosum forum sit  
deducta; quo casu, Officiali Nostrò decisio re-  
linquetur. consuetudinem tamen, à Capitulo  
Nostrò Cathedrali, quo ad suos de gremio,  
hactenus observatam, non immutamus.

<sup>5</sup> Repetimus quoque, ac firmiter observari  
volumus, quod de prohibitione Legatorum,  
institutione, ac donatione, à Clericis, Concu-  
binis ac aliis personis turpibus non facienda,  
à Prædecessore Nostrò statutum est; idque  
nec sub fictitiis nominibus, nec per substitu-  
tos aut interpositas personas, admittimus, sub  
expressis & aliis pœnis Nobis arbitrariis.

#### C A P. XII. De Ecclesiis, Capellis, Ora- toriiis, Altaribus, Hospitalibus, So- dalitatibus seu Fraternitatibus, & aliis piis locis.

**I** Similiter cum Prædecessore Nostrò  
declaramus, Nostrum Iuris Ecclesiastici  
& Episcopalis esse, Ecclesias, Capellas, Ora-  
toria, Altaria, Hospitalia, & alia quæcumque  
pia & Deo dicata loca per Diocesan No-  
stram, in quibuscumque locis Civitatum, Op-  
pido-

c. si hæ-  
red. c. tua  
nobis. c. si  
Iohan. De  
Testam.  
Conc. Tri-  
dent. sess.  
22. c. 8.  
de ref. aut.  
l. licet. c.  
De Episc.  
& Cleric.

<sup>2</sup> c. pla-  
cuis, &  
sq. 12. q.  
3. c. 1. &  
3. end. q.  
4. c. 1. &  
c. fixum  
12. q. 5. c.  
cum in  
officiis. c.  
adhat. c.  
quia. c.  
rel. De  
testam. tit.  
De pecul.  
Cleric.  
c. 2. De  
donat.  
cum simi-  
lib.

c. 8. §. 3.

c. omnes  
basilica  
16. q. 7.  
Clem. quia  
contingit.  
De relig.  
dom. Con-  
cil. Trid.  
sess. 22.  
c. 8. de  
refer.

pidorum, Pagorum, Agrorum, Arcium, Domorum, sive illa extent sive per injuriam temporum ac hominum diruta sint aut conciderint; item, quæcunque ad hujusmodi pia loca à Majoribus Christi-fidelibus olim deputata & ad servitium divinum applicata semel fuerunt, sive mobilia illa sint sive immobilia; quæ declaramus, sine sacrilegii reatu ab aliis hominibus detineri vel usurpari non posse. Horum vero omnium restitutionem & restaurationem & omnimodam dispositionem secundum Decretum Concilii Tridentini nobis reservamus, diligentem vero indagacionem Nostro in spiritualibus Vicario committimus, omnesque & singulos Nostros subditos, maxime vero Ecclesiasticos, sub pœnis aliis in jure expressis, de rerum Ecclesiasticarum detentoribus, eorumve fautoribus, monemus & requirimus, ut, quicquid harum rerum ad notitiam devenerit, id Nobis aut Nostro in spiritualibus Vicario designent ac significant.

2 Mandamus etiam omnibus & singulis ad quos ea res pertinet, ut Tempora, Ecclesias, Capellas, Oratoria, Ossaria, & similia loca sacra, diligenter restaurent, ac facta tecta conservent. contra negligentes vero Nos ad damnorum restitutionem, & aliis pœnis, procedemus.

3 Si quæ Sodalitates aut Fraternitates in honorem Dei aut Sanctorum ex præcedentium temporum injuria relictae sint, quæ institutionem piam habent, eas in probato usu permanere volumus, sublato omni abusu, maxime si census & redditus in commensationes impendantur, quos magis conveniet in usus pauperum, Ecclesie aut Parochi, converti. Harum autem Sodalitatum ac Fraternitatum institutio ac forma à Nobis aut Nostro Vicario examinanda; ac, quod redditus quotannis coram Parocho rationibus supererit, ad usus Ecclesie & pauperum convertendum erit.

#### C A P. XIII. De rebus Ecclesie conservandis & non alienandis.

1 Diligentem porro curam & rationem ab omnibus Prælati, ac iis quorum interest, institui volumus, ut ea, quæ à Majoribus Nostri in pios usus donata, legata, & alio modo concessa & Ecclesie acquisita sunt, Nostri temporibus non intereant, & quæ præcedentibus temporibus interversa sunt, iterum ad rectum usum & dominium Ecclesie redeant. Mandamus itaque omnibus & singulis, Præpositis, Decanis, Abbatibus, Prioribus, Abbatissis, Priorissis, Collegiis, Clericis, & Beneficiatis, Pastoribus, Curatis, Vicariis Civitatis ac Diocesis Nostre Osnabrugensis, omnibusque piorum locorum administratoribus, ut Ecclesie bona strenue defen-

dant, & si aliqua norint Ecclesie esse sublata aut detracta, ea pro virili recuperare conentur, Nostrique desuper consilium & auxilium in necessitatibus suis implorent.

2 Nulla vero bona, seu redditus, proventus, & jura Ecclesiastica vendant, obligent, aut quocunque modo in perpetuum vel ad longum tempus contra Canones alienent elocentve, sine speciali Nostri facultate, & cum plena causæ cognitione, num hujusmodi venditiones, alienationes, obligationes, in evidentem cedant Ecclesie utilitatem. Si quis contra aliquid attentaverit, ipsos contractus invalidos & nullos de jure decernimus, nihilominus contra transgressores ad canonicas pœnas processuri.

3 Similiter mandamus omnibus Pastoribus & Provisoribus Ecclesiarum, maxime ruralium, ne nomine Ecclesiarum ullam litem inchoent ipsi pro juribus Ecclesie, aut etiam excipiant vel patiantur, sine Nostro aut Nostri in spiritualibus Vicarii præscitu; si quas vero nunc lites judiciales aut controversias cum quolibet habeant, eas Nobis aut Nostro in spiritualibus Vicario intra semestrem indicent.

#### C A P. XIV. De Provisoribus Templorum & Fabricæ.

1 Provisoribus ædilibus seu structuariis Ecclesiarum & Capellarum idem junctum volumus, quod Prædecessor Noster in Synodo Osnabrugensi statuit; qui viri Catholicæ, providi, idonei, ac boni testimonii sint; quorum officii erit, ut, quasi Tutores ac Curatores templorum, omnes census ac redditus ad fabricam pertinentes diligenter colligant ac recipiant, fideliterque expendant; Ecclesie, turris, campanarum, sacrorum vasorum ac vestium, aliarumque rerum quæ ad Ecclesiam & Fabricam spectant, curam habeant, vinum, oleum, ceram, thus, & alia ad officium divinum necessaria, tempestive procurent, Parochis suis (quos Nos tanquam Ecclesiarum & Ecclesiasticarum rerum superiores Procuratores declaramus) requirentibus, necessaria, in iis quæ ad officium divinum pertinent, ministrare non detrectent; quæ sordida sunt, mundari, quæ fracta vel corrupta refici ac sarciri diligenter faciant, rationes ministerii sui singulis annis coram Pastore ac deputatis facere teneantur, eaque in singulari cista templi reponant, ut, requisiti, omni momento exhibere possint. Negligentes in his, Parochi Nobis aut Vicario Nostro denuncient.

2 Habeatur in singulis Ecclesiis cista, in qua literæ reddituum, jura & pecunie fabricarum, conserventur, sub trium clavium clausura; quarum unam Parochus, reliquas duas alii duo Provisores habeant. Volumus etiam, ut iidem con-

c. prædial.  
c. non liceat. cum  
seq. 12.  
q. 2. tot.  
tit. ext.  
in 6. &  
Clem. De  
reb. Eccl.  
non alien.

c. quod  
quis 35.  
q. 9. c. si  
quis Presb.  
De reb.  
Ecclesiarum  
alien. c.  
in. extra-  
vag. eod.

Cap. 27.

sess. 21.  
c. 7. de  
ref. sess.  
22. c. 11.  
de refur.

ficiendo Inventario rerum, jurium, ac monumentorum omnium, in Episcopali Archivio reponendorum, diligenter collaborent.

3 Indignissimum est, Ecclesiarum reditus ac Eleemosynas piorum, congestas, in non rectum usum converti, aut etiam in computationibus abliguriri, proinde, sub restitutionis ac aliis poenis Nobis arbitrariis, prohibemus convivia & computationes, dum conventiones instituantur, vel quicquam ratione Ecclesiarum emitur aut tractatur, cerei conficiuntur, vel annuarum rationes rerum fabricarum traduntur; quod diligenter Pastoribus curandum commendamus.

4 Provisores fabricarum nullas arbores vendant, cadant, minus vero donent, vel ipsi sibi usurpent, ex sylvis Ecclesiarum, sub poena restitutionis quadrupli, & alia Nobis arbitraria; in quo diligentes inspectores Parochi esse moneantur.

5 Eleemosynarum, pauperibus addictarum, vere pauperibus, frugi & Catholicis, sine humano affectu distribuantur, ordinatis temporibus, ac maxime diebus Dominicis & festivis, post Sacrum & Concionem, quibus pauperes interesse debent.

#### C A P. XV. De Immunitate Ecclesiastica.

1 **E**xemptiones ac immunitates rerum ac personarum Ecclesiasticarum, tam divinæ Scripturæ autoritate, quam perenni usu ab ipso nascentis Ecclesiarum exordio, concessæ ac confirmatæ, posteriorum temporum injuriâ, ac hæreseon malevolentia in his regionibus nonnihil concussæ ac labefactatæ conspiciuntur, quas Nos cum antiquis religiosiss. Imp. & hujus Diocesis Fundatore Carolo Magno, & SS. Concilii Tridentini & Patribus, hoc Nostro Synodali decreto, in pristinum gradum restitimus, & innovamus omnia Concilia generalia, Apostolica & Imperiales Sanctiones, in favorem Ecclesiasticæ libertatis & contra ejus violatores decretas; ac propterea omnes & singulos Magistratus, Officiarios, ac Ministros Nostros hortamur, ut libertatem Ecclesiasticam impigre defendant, & in illos, qui illam perturbant aut impediunt, graviter animadvertant.

2 Nullus in personas Ecclesiasticas, aut earum bona aut loca, contra Iuris Canonici & Civilis Constitutiones sibi quicquam vendicet, aut Clericum coram sæculari Iudice conveniat, aut mulctam, & poenam, vel indignum & sordidum onus ei imponat, minus illum captivare vel in vincula conjicere præsumat, sed delinquentes Clerici Nobis aut Nostro Vicario denuncientur.

3 Quod si vero Clericus enormiter valde deliquisset, & vehemens fugæ suspicio adesset, permittimus, ut à sæculari Magistratu in loco certo & honesto, donec Nos vel Vica-

rius Noster certiores facti fuerimus, detineatur, aut vincus securo sed decenti modo ad Nos mitti possit.

4 Quod de asylo & immunitate ac securitate Ecclesiarum & Cæmeteriorum constitutum est, ut nullus inde extrahi possit, inviolabiliter quoque observari volumus; exceptis publicis & latronibus, qui per industriam proximum occiderint, incendiariis, vel nocturnis agrorum depopulatoribus, qui itinera obfident aggressionum infidiis; denique qui sub immunitatis spe in Ecclesiis delinquant.

5 Si vero à confugientibus ad Ecclesias talia sint commissa crimina, quæ ne impunita permaneant, interfit Reip., tantisper sæcularis potestas à manuum injectione absteat, donec Nos aut Nostri Officiales consulantur, & ab iis licentia impetretur.

6 Ad hanc quoque immunitatem Ecclesiarum & Cæmeteriorum spectat, ne quid in iis ædificetur aut construatur aut exerceatur, quod usibus prophanis ferviat; quapropter loca sacra ubique diligenter clausa, & à negotiis prophanis libera esse volumus. Iudicia vero sæcularia, ludos histrionum & jocularium, forum rerum venalium, prandia publica, computationes, choreas, saltationes, & similes infolentias, in iis districtè prohibemus.

7 Animadvertimus etiam, in Diocesis Nostre multis Cæmeteriis habitationes & aedes Laicorum erectas contra sacerorum Canonum prohibitionem & Ecclesiasticæ libertatis immunitatem. Cui malo cum debito modo mederi velimus, illud in primis statuimus, ne posthac ullæ aedes amplius in Cæmeteriis sub quocunque prætextu ædificentur: quæ autem à tempore recol. mem. Prædecessoris Nostri extructæ sunt, ut deiciantur; quæ vero jam antiquatæ, aut prope ruinam sunt, ne amplius instaurentur. Conandum vero erit, ut hujusmodi aedes ad alia loca transferantur, & in primis, ut fimeta ac vaccarum & porcorum stabula & similes impuritates ex locis sacris removeantur. Quod curæ Pastorum, & officialium nostrorum quos ipsi ad hoc imploraverint, serio committimus; quorum negligentiam arbitraria animadvertione persequemur.

8 Prohibemus quoque serio, ne mercatus, etiam tempore Dedicationis & aliarum solemnitatum, in Ecclesiis, Cæmeteriis, Templorum vestibulis ac porticibus instituantur. quod similiter serio Pastoribus, & aliis officiatis Nostris quos illi pro auxilio imploraverint, committimus.

9 Etsi quidem, ob hostilem incursum, subita incendia, aut alios improvisos casus, ad loca sacra cum rebus suis confugere non sit illicitum: Volumus tamen, ut, periculo aut necessitate cessante, quæ illata sunt, rursus inde exportentur, nec lino, frumento, lana, panno, ciba-

Gen. 47. vers. 26.

1 Esdr. 7. vers. 24.

l. 12. c.

De sacr.

Eccles. l.

omnes c.

De Episc.

et Cler. l.

De nobis

et l. ult.

eod. tit. l.

privilegia

et consil.

seq. cassia c.

De sacro

Eccles. l. si

vener.

eum Const.

seq. c. De

Episc. et

Cler. c. non

minus 4.

et c. ad-

versus

consules.

De immu-

nit. Eccles.

et eod. tit.

in 6. et in

Clem.

2 Constans-

tino, Va-

lentinia-

no, et Ju-

stiniano,

Anastasio,

Iustinia-

no, & c.

supr. all-

gatis ll.

3 lib. 6.

leg. c. 109.

4 Sess. 25.

c. 20. de

refor.

5 c. quali-

ter. De

jud. Ciset

aut.

6 c. nul-

lus. De

foro com-

pet.

7 Facit. c.

Ut fama.

De sent.

excom.

1 Can. mi-  
ror. c. fra-  
ter. c. nul-  
lus Cleric.  
c. si quis.  
c. metuen-  
tes. C. de  
finit. c.  
Id consti-  
tuimus.

17. q. 4.  
tot. tit. de  
immunit.  
Eccles. ext.  
et in 6. l.  
fidel. et l.  
pateant. c.

De his qui  
Eccles. conf.  
c. sicut  
antiqui-  
tus. 17. q.  
4. c. Inter.  
et c. fin. de  
immunit.  
Ecclesiarum.

10 c. 1. de  
immunit.  
Eccles. c.  
de cet. eod.  
tit. in 6.

c. de cet  
domum.  
De immu-  
nit. Eccle-  
siar. in 6.

cibariis, cistis, hastis, ensibus, sclopiis, signis militaribus, aliisque impedimentis, Tempa, Sacella, Sacraria, per annum repleta mancant, uti in multis locis apparet, & Pastoribus diligenter emendandum injungitur.

10 Magna curâ à Prædecessoribus Nostris provisum fuit, ut insignes ædes, in immunitatibus præsertim Cathedralis & Collegiatarum Ecclesiarum, ædificarentur, ut, ista excellentium ædificiorum commoditate & jucunditate, Canonici & Ecclesiarum ministri ad residentiam & personale obsequium invitarentur. Quæ omnia in plerisque locis contra primam institutionem & sacrorum Canonum sanctionem perverta & immutata sunt; & domus, quæ olim Canonorum & ministrorum Ecclesiasticorum habitationi comparatæ ac dedicatæ fuerunt, nunc laicis conjugatis, mercatoribus, forsitan etiam interdum non satis honestis ac plane hæreticis, locantur, magno contemptu & irreverentia Ecclesiæ & constitutionum Ecclesiasticarum, eoque minus tolerando, quod ab iis hæc injuria in Ecclesia enascatur, à quibus hujusmodi jurium defensio merito requiritur. Quare, ut, quæ tam bona & utili Ecclesiæ Majorum intentione bene sunt constituta, posteriorum negligentia ad Ecclesiasticæ disciplinæ enervationem & immunitatis violationem non confundantur; præsentis decreto statuimus ac districte prohibemus, ne de cætero quispiam domos Capitulares sive hæreditarias, ab aliqua Ecclesiarum dependentes, quas Canonici seu Beneficiati ipsius Ecclesiæ inhabitare consueverunt, laicalibus seu extraneis personis quibuscunque sine Nostra licentia dare vel locare, committere seu vendere ad inhabitandum, nullatenus vero ad nuptias, choreas publicas, vel alia secularia negotia in eis exercendum, concedere præsumant.

11 Et, si forte actu aliquæ domorum hujusmodi locatæ ac concessæ sint, locationes & concessiones hujusmodi, illi, ad quos pertinent domus, intra competentem terminum studeant cum effectu revocare; alioquin Nos, præter arbitrariam Nobis pœnam, locationis pretia eo ipsa commissa, & judicio Nostro piis locis applicanda declaramus.

12 Quia vero ædes Canonicales ac Beneficiales, pudore publico, ac magno Ecclesiarum ac Beneficiorum detrimento, destructæ ac ruinosæ conspiciuntur: Mandamus omnibus & singulis Capitulis, Collegiis, Prælatiis, Structurariis, Provisoribus, & aliis ad quos ea res pertinet, ut ædes hujusmodi ruinosæ annue inspiciantur, visitentur & restaurentur, ac in posterum sartæ tectæ conserventur, sub pœna arbitraria contra negligentes.

## C A P. XVI. De Archivio Episcopali.

1 Magna Ecclesiæ ac piis locis incommoda accidunt, quod, quæ à Majoribus in pios usus donata sunt, sæpe negligentia vel avaritia posterorum aut intercidant aut ignorentur aut intervertantur; ut sæpe necessarium sit post obitum Beneficiorum novas designationes reddituum ex aliorum relationibus facere, antiquis registris vel monumentis deperditis; unde, præter defraudationes Ecclesiarum, sæpe lites oriuntur, quibus ob ignorationem monumentorum, jurium & designationum, non facile decisio invenitur, multaque ex patrimonio Christi deperduntur ac negliguntur.

2 Hinc Nos, pro Pastoralis Nostræ muneris obligatione, hujusmodi incommodis obviare volentes, statuimus, Archivium Episcopale in Nostra Cathedrali Ecclesia Osnabrugensi, vel alio loco commodo, à Nobis designando, erigendum esse; ac volumus, ut singuli Parochi ac Beneficiati intra sex menses à publicatione hujus Nostræ Synodi, vocatis iis quorum interest, Inventarium omnium & singulorum bonorum tam mobilium quam immobilium, jurium, actionum, annuorum censuum, jurisdictionum, privilegiorum, ac scripturarum, debitorum & aliorum quorumcunque ad ipsas Parochias seu Beneficia pertinentium, cum eorum confiniis & plena descriptione per publicam personam, in præsentia duorum saltem testium, confici procurent, ac Nobis aut Nostro in Spiritualibus Vicario tradant, in Archivio illo publico recondendum.

3 Repertorii hujus duo exempla in forma Authentica per eandem publicam personam conscribantur; quorum alterum apud Parochialem seu aliam Ecclesiam, in archivio, seu in loco alio, bene munito & custodito, qui duabus aut tribus differentibus clavibus aperitur, quarum unam Parochus, alias Provisores templi, vel, cum Diocesis Nostra in regiunculas suas & Decanatus Rurales divisa fuerit, Decanus Ruralis illius Capituli habeat, alterum exemplum in dicto Archivio Episcopali ad hoc deputato conservetur: singulis autem decenniis Inventarium illud renovari volumus.

4 Idem faciant, & hujusmodi Inventaria conscribant, Capitula omnia, & Collegiatarum Ecclesiarum, Hospitalium, ac quorumcunque piorum locorum gubernatores seu administratores; & alii, quicumque Beneficia Ecclesiastica quæcunque, cum curâ vel sine curâ, quocunque nomine nuncupentur, obtinent, intra annum à publicatione hujus Synodi, & alterum exemplum in communi suo Archivio retineant, alterum in Archivio Episcopali asservandum tradant. Contra negligentes hac in parte pœna arbitraria procedemus.

5 Nullus

Vide Con-  
stit. Ar-  
chiepisc.  
Col. Fri-  
derici. 7.  
fol. 227.



5 Nullus autem Pastorum unquam in Pastoratu suo instituat, quin omnium bonorum mobilium, in domo Pastoralis inventorum, similiter calicum, paramentorum, librorum, & quorumcunque instrumentorum Ecclesiasticorum Inventarium, intra 14 dies, Nobis, aut Vicario Nostro in spiritualibus, exhibeat, simul cum designatione, si quid in ædibus Pastoralibus corruptum, destructum, demolitum aut deperditum fuerit; sub pœna 20 Aureorum irremissibiliter solvendorum.

C A P. XVII. *De Examinatoribus.*

*1. Sess. c. 7. Sess. 13. c. 57. c. 12. Sess. 24. c. 18. de reform. c. 34.*  
**Q**Væ de Examine Ordinandorum, ac præcipue ad curam animarum, ex 1 Concilio Tridentino, à Prædecessore Nostro salubriter sunt statuta, debite observari volumus; ac propterea diligenter Nostro Vicario & Examinatoribus commendamus, ne quenquam ad curam animarum exercendam admittant, nisi quem ætate, moribus, doctrina, prudentia, & aliis rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunis, idoneum judicaverint. similiter stricte prohibemus, ne quispiam in Pastorales functiones sese ingerat, nisi prævio examine & approbatione licentiam in scriptis à Nostro Vicario obtinuerit.

Nolumus ullum posthac cujuscunque status ad Ordines & Beneficia, maxime Curata, sine hujusmodi examine admitti; Provisiones autem, Collationes, institutiones, investituras, aliter factas, nullius roboris declarantes.

Deputamus autem Examinatores, cum Vicario Nostro in spiritualibus generali, Præpositum & Decanum Cathedralis Nostræ Ecclesiæ.

P. Priorem Prædicatorum.

P. Guardianum Franciscanorum de Observantia.

P. Rectorem Societatis Iesu.

Concionatorem Nostræ Ecclesiæ Cathedralis, cum tribus aliis, doctrina & bonis moribus præditis, ex Clero Nostræ Civitatis à Nobis nominandis.

C A P. XVIII. *Judices delegatos Causarum Apostolicarum nominamus,*

Præpositum Cathedralis Ecclesiæ.

Decanum Cathedralis Ecclesiæ.

Decanum Collegiæ Ecclesiæ S. Joannis Baptistæ.

Judicem ordinarium seu Officiale Nostrium.

Et unum de Clero Nostro Secundario Civitatis Nostræ, à Nobis nominandum.

C A P. XIX. *De Censore Librorum.*

**C**VM à Nobis, parte I, cap. II, statutum sit, ne quispiam posthac libros vetitos, aut alios suspectos, imprimat, invehat, vendat &c. Hinc deputabimus unum vel plures Librorum Censores de Clero Nostro, sine quorum consensu & censura nemo librum ullum imprimat, vendat, aut in Nostram Diocesin invehat; quorum officium quoque erit, Typographias & Officinas librorum visitare, libros vetitos confiscare, & alia, secundum rationem officii illius, persolvere & perficere.

C A P. XX. *De Penitentiario.*

**I**N Penitentiarium publicum in Nostra Cathedrali Ecclesiæ constituimus quendam ex Patribus S. Francisci Fratrum Minorum de Observantia; ex quibus successive alium qualificatum nominabimus.

I N D E X C A P I T V M  
T E R T I Æ P A R T I S .

CAP. I. De Regularibus & personis religiosis.

CAP. II. De Sanctimonialibus.

CAP. III. De Sanctimonialium Superioribus, Visitatoribus, ac Confessariis.

P A R S T E R T I A .

CAP. I. De Regularibus & personis religiosis.



Vanti interfit Reip. Christianæ, ac cuiuslibet Provinciæ, Civitatis, ac Communitatis, in sinu suo fovere Regulares & religiosas personas, quæ, peculiari modo à mundi vanitate se-

paratæ, tribus sacræ ac religiôsæ vitæ votis substantialibus, castitatis, paupertatis, & obedientiæ, sese Deo adstringunt, & noctes diesque in mortificationis placationisque operibus, contemplationibus divinis, & precibus, continuas quasi pro cætero populo excubias agunt, Deique iram, infinitis eorum, qui de mundo sunt & sæcularia desideria sequuntur, peccatis provocatam, sedare & placare contendunt, omnes facile intelligere possunt, qui altiori consideratione expendunt, quanta ex piis eorum exercitationibus ac vita religiosa, commoda atque emolumenta in Remp. redundant, cum, pro paucorum aut etiam unius aut alterius innocentia & vitæ integritate, sese Deus communitati etiam integræ ac populôsæ parciturum promiserit. Hinc uti optandum est, ut plurimi hujus instituti sancti ac Religiosi in Repub. & Diocesi Nostra alantur, sic illis connitendum est, ut dignos ac speratos fructus altioris istius vitæ, ad populi ædificationem, divinæ vindictæ mitigationem, ac publicam salutem, pacem ac prosperitatem, proferant.

2 Volumus itaque, ut, quicquid in Monasteriis & Religiosis domibus, vel focordia hominum, vel injuria præcedentium temporum, vel senio quodam, & torpore antiquorum Ordinum irrepsit ac deformatum est, id, magno studio ac fervore spiritus resumpto, renovetur, ac in pristinum gradum reponatur.

3 Religiosæ vero vitæ disciplina tunc rectè restituetur, si, qua ratione quibusque factis illa primum constituta, diuque conservata est, ea-

dem etiam in restitutione & reformatione adhibeantur.

4 Constituta vero & conservata est diligenti & accurata Regularum & Constitutionum, & trium præsertim substantialium votorum observatione; atque adeo simili modo erigetur & restituetur, ubi collapsa est. Nihil enim, nisi ad regulam, rectè fit.

5 Imprimis autem curandum est religiosis, ut continentiam ac castimoniam colant, eisque conservandæ media sedulo amplectantur, quod tunc maximè fiet, si, fuga sæculi ac sæcularium negotiorum, evitent scopulos illos, in quos multi, caute non ambulantes ac nimium sibi præfidentes, impegerunt.

6 Ab omni itaque prohibito aspectu, colloquio, consuetudine, ac familiaritate disparis sexus abstineant; fœminæ omnes ab ambitu, refectorio, dormitorio, & aliis secretioribus locis Monasterii, arceantur. Extra clausuram & loca conventualia, si quæ fœminæ ex necessitate ad colloquium sint admittendæ, honestatis tamen ubique ratio habeatur.

7 Ad conservationem verò castitatis valent cætera communia fere omnibus ordinibus religiosa instituta, sancta sobrietas, virtutum omnium aut parens aut soror, mortificationes quotidianæ, in jejuniis, vigiliis, silentio, cultus asperitate, ocii fuga, ac corporali fatigatione; ad quæ si sacra lectio, sancta meditatio, orationis frequentia, accedant, tutum facile constituent Religiosum ab omni turpitudine actus & delectationis carnalis.

8 Si quis vero in his præstitam Deo fidem irritam faciat, ac sibi fœdam quidem sacrilegii notam inurat, Ordini vero suo turpem incontinentiæ labem aspergat; secundum statuta, Regulam ac Canonicas sanctiones graviter puniatur, & ad aliud Monasterium (acta tamen prius salutari poenitentia in loco delicti) ablegeretur, nec nisi ex speciali Nostra licentia in Diocesi Nostra morari possit.

9 Religiosa paupertas exigit à Christi discipulis & veræ religionis sectatoribus, ut affectum amoremque omnem à terrenis rebus divertant, & ad cælestia transferant. Ut autem

E volun-

Clem. xxi. vi. de verb. signif. cum ad Monast. de statu Monach. Conc. Trident. sess. 25. c. 1. de regul. Can. 27. q. 1. par. 101.

Genes. 18. v. 23. & seq. Ezech. 22. v. 30.

voluntaria sit paupertas, non sufficit, ut voto libero sit confirmata, & tamdiu contenta, quamdiu omnia, quæ sunt necessaria, affatim subministrantur; sed & ipsa penuria necessaria, aut quæ facile evitari non potest, & quæ ex illa sequuntur molestiæ & incommoda, voluntati tam ingrata esse non debent, ut linguam in murmur aut contradictionem resolvant, aut ad alias sollicitudinum improbas cogitationes ausulque convertant.

10 Prælati vero ac quibuscunque superioribus Monasteriorum serio injungimus, ut, pro necessitate ac Monasterii facultatibus, juxta vocationis & regulæ suæ rationem, necessaria in victu, potu, vestitu, cæterisque vitæ subsidiis, decenter ac benigne subministrent; ne fordida ipsorum tenacitas paupertatis votum grave faciat.

11 Religiosis similiter injungimus, ut, quæ ipsis religiosa sobrietate præstantur, magna animi gratitudine suscipiant, & si in omnibus appetitui non fiat satis, memores sint promissæ paupertatis; ad quam spectat quod de se dicit Apostolus: Ego didici, in quibus sum, sufficiens esse; scio enim humiliari, scio & abundare (ubique & in omnibus institutus sum) & satiari & esurire, & abundare & penuriam pati: omnia possum in eo qui me confortat.

Philipp. 4.  
v. 11. &  
seq.

c. cum ad  
Monasterium,  
de statu monach.

12 Eliminamus vero omne illud, quidquid in religiosis sanctam paupertatem vitiat, aut, ut vocatur, proprietati ansam præbet, sive pensiones vitales, annui redditus, mobilia vel immobilia bona, cujuscunque speciei, aut quocunque titulo habeantur, sed omnia ad communis participationem redacta, omnia ex eadem deprompta esse volumus, ut, quæ radix est omnis boni, charitas inter Fratres, simili modo ac forma viventes, facilius conservetur, & radix malorum cupiditas extirpetur.

13 Communem quoque vitam, quantum ad victum & vestitum attinet, ab omnibus religiosis observari volumus, ut ex eodem cellario & vestiario necessitati eorum satisfiat, in eodem refectorio comedant, & eodem dormitorio requiescant, nec quisquam sibi aliquid operetur, sed omnia in commune fiant, majori studio & frequentiori alacritate, quam si singuli sibi facerent propria.

Clem. ne  
in agro  
divino. de  
statu monach.

14 Nullus in Monasterio alio preciosus aut alia forma vestiatur; nec quisquam vestibus populo placere studeat, sed moribus; & sive Superior, sive subditus, domi forisque habitum ac tonsuram professioni suæ convenientem gerat.

d. c. cum  
ad Monasterium,  
de statu monach.  
non dicitur

15 Omnis pecunia, vel res, quam religiosus qualibet occasione, donatione, labore, industria, aut quocunque modo acquirere potest, Superiori tradatur, & in commune peculium conferatur; ne contingat illa detestanda perveritas, ut alius, qui consanguineos in sæculo

divites habet, abundet, alius vero, qui Deo derelictus est, necessitatem patiatur.

16 Ad hujus vitii extirpationem quoque pertinet, ut prudenti Superiorum consilio à religiosis illa subtrahantur, quæ non raro cum affectu & specie proprietatis retinentur; qualia sunt cochlearia & alia instrumenta argentea, cultri elegantius elaborati, sudariola acupicta, & similia quæ interdum etiam sub pietatis specie detinentur, & quamvis exigua videantur, affectum tamen inordinatissime detinent. Indignum enim est, ut, qui toti mundo sese renunciasse proficitur, minimis rebus adhareseat.

18 Obedientiam cum religiosi omnes profiteantur, eam Præpositis suis exhibeant ex animo, tanquam Deo servientes, imitatores facti istius qui obediens fuit usque ad mortem, submota omni murmuratione & contradictione. cujus obedientiæ solida sanctaque sint exercitia, præsertim in Novitiis, dum illi specimen futuræ vitæ suæ anno probationis exhibent, ut hujus virtutis exercitiorum facilitatem suavioremque illis reddat vitam postquam, superioribus rectionem & curam.

19 In suscipiendis Novitiis omnis pactio Simoniaca vitetur; nec ante Professionem, excepto victu & vestitu, quicquam detur, ut libertas discedendi non ardeatur. Nemo ante annum decimum sextum ætatis expletum, & post integrum probationis annum exactum, ad Professionem admittatur; nemo ad alicujus religionis Professionem emittendam, vi, metu, dolove inducatur. In susceptione religiosorum non affectibus humanis res agatur, neve divitiæ, natales, & similia spectentur; sed solum purus Dei honor, & animarum salus quaeratur. In receptione, nulla, in Professione ac primitiarum oblatione vel celebratione, sobria ac moderata convivia sint, quæ magis referant speciem lætantium ac exultantium in Domino ob peccatoris conversionem, quam inanem mundi vanitatem aut applausum.

20 In Monasteriis, quorum Capitula, seu Congregationes, singulares Novitiatus non habent, locus aliquis pro Novitiis separetur; iisque deputetur vir religiosus, pius, prudens, doctus, ac discretor spirituum, qui uniuscujusque mores, affectus, animi motus & propensiones diligenter exquirere, & iis remedium opportunum adhibere possit.

21 Ad officia divina, tam diurna quam nocturna, omnes sine distinctione (nisi quos procuratio rerum exteriorum Monasterii interdum excusat) eò diligentius conveniant, quo perspectius habent, id ipsum omnibus secundum statum, Regulas, Constitutiones, Fundationes, ac laudabiles consuetudines, magna pietate ac diligentia præstandum esse; ac, cum in locis omnibus, tum vel maxime in Choro, præsentem Deum agnoscant & reverentur omni

sis. 12.  
q. 1.  
Conc. Tri-  
dent. sess.  
25. c. 2.  
de regul.

c. Monachi de statu monach. c. quoniam Simoniaca. de Sim. Conc. Trident. sess. 25. c. 15. de regul.

Clem. ne in agro Divino. co. de statu monach.

omni qua possunt interna pietate, & externa reverentia morumque gravitate. Nihil ibi fiat quod à domo Domini, quam decet sanctitudo in longitudinem dierum, sit alienum.

22 In expiatione conscientiarum, & humili peccatorum confessione, ac SS. Eucharistiæ frequentatione, id fiat, quod in Religiosis desiderata vitæ integritas, & cuiusque ordinis Regulæ & probatæ consuetudines requirunt.

23 Capitula, quæ vocant culparum, ad disciplinæ conservationem instituta, diligenter frequenterque habeantur. In quibus non solum vitia severe corrigantur, sed etiam virtutum studium & disciplinæ amor excitetur, fervor spiritus foveatur, languor & lentitudo in progressu vitæ spiritualis excutiat: vita enim religiosi, si languida est, si in virtute non proficit, si ad libertatem carnis aspirat, ruinæ proxima est. In his capitulis, ad amissam regulæ & constitutionum, vita cuiusque examinetur & exigatur, & iis Superiores, quibus de his maxima cura incumbit, semper interesse studeant.

24 Regulares Prælati, præsertim non mendicantes, suos fratres non facile nec absque rationabili & magna causa ex Monasteriis dimittant, vagabundos vero & Apostatas diligenter inquirant, & ad Monasteria sua reducant, & tam in receptione quam poenarum impositione, ita mansuetudinem cum rigore iustitiæ temperent, ut nec disciplinam sine misericordia nec misericordiam sine disciplina reliquisse videantur.

25 Nolumus etiam, ut religiosi sub quocunque Prætextu, parentes, consanguineos, amicos, affines invisendi & ad prandia ipsorum, multo minus ad nuptias, dedicationes, baptismalia aut similia convivia, accedendi liceant à superioribus detur, ac sub huiusmodi prætextu peregrinationes ac profectiones suscipiantur.

26 Cum vero Religiosis interdum ex necessitate Monasterii proficiscendum est, omnibus iis, quibuscum versantur, modestiæ religiosæ & bonorum operum præbeant exemplum; tabernas, nisi præcisâ necessitate, in via non frequentent, & expedito eo propter quod emissi sunt, quam citissime ad Monasterium redeant.

27 Cum vero periculosissime peccetur, si indignis prælatiorum deferatur, eaque res affectibus sinistris, non iudicio recto sinceraque intentione agatur; si enim, qui suis affectibus dediti sunt, consentientem sibi superiorem eligant, actum esse de omni disciplina & reformationis studio, tot insignes deformationes & ruinæ Monasteriorum testantur: Hinc Superiores & Visitatores aut Commissarios eorum Ordinum, qui in Diocesi Nostra sunt, graviter monemus & in Domino obtestamur,

ut in hoc negotio cauti ac diligentes sint, ne Nostram à Canonibus probatam curam & inspectionem merito adhibere cogamur.

28 Qui Canonicè electi fuerint Ordinum Superiores utriusque sexus, & à Nobis ex antiqua consuetudine benedictionem seu confirmationem expectare debent, non ante se administrationi ingerant, quam à Nobis confirmationem obtinuerint, eamque intra mensem, exhibito Nobis Electionis seu postulationis publico instrumento, petere, ac solitum obedientiæ ac fidelitatis iuramentum præstare teneantur; alioquin ab administrationis officio & dignitatibus, ad quas assumpti fuerant, sese noverint esse suspensos.

29 Constituti autem Monasteriorum Prælati ac Præfecti illud sciant, se ut SS. Patrum, quorum regulam profitentur, Successores ac Vicarios, obligatos esse ad reddendam rationem pro singulis sibi commissis; à quibus amari magis appetant quam timeri. Meminerint quoque, se bonorum ac fructuum Monasteriorum non Dominos esse, sed dispensatores tantum, nec se pro arbitrio & voluntate sua, sed secundum intentionem piorum fundatorum & Ecclesiæ, pro necessitate & utilitate Monasterii ac fratrum suorum, dispensare debere.

30 Caveant itaque diligenter, ne sumptibus necessariis Monasteria onerent, in conviviis splendidis, sumptuosis ædificiis, superfluo famulatu, equorum numero, donationibus in propinquos, aut aliis superfuitatibus; & demum nihil admittant in se, vel in suis religiosi, quod professæ paupertati sit contrarium.

31 Hospitalitas ea exerceatur, quæ non luxuriam & infrugalitatem sapiat, sed religiosam sobrietatem & moderationem. si hospites necessario suscipiendi sint, quod aliter non fiat quam cum religiosi ac pauperes, honesti ac necessarii amici, aut alii qui iter iusta de causa isthac faciunt, aut negotiorum in Monasterii utilitatem tractandorum gratia accedunt; omnia modeste & frugaliter exhibeantur; absit crapula, ebrietas, invitatio ad æquales haustus, sermo scurrilis & inutilis, & quicquid demum religiosæ modestiæ repugnat. Ii vero, qui non nisi Symposiorum, superflua visitationis, & sui causa, cum damno Monasterii accedunt, speciali hoc Nostro mandato excludantur.

32 Officialium inferiorum qui post Prælatum sunt, electio non ex gratia & affectu, sed ex dignitate & aptitudine personarum fiat. qui vero ad huiusmodi officia deputati sunt, & rerum exteriorum administrationem habent, de rebus sibi commissis, secundum Constitutiones ac consuetudines Ordinis, ac quoties id Superiori visum fuerit, rationem reddant; & dum aliis ex charitate servire coguntur, id fatigant, ne, exteriorum sollicitudine, interioris

*c. ne Dei  
Ecclesiam  
de Simon.*

*d. Clem.  
ne in a-  
gro.*

*dist. 42.  
per tot.*

*d. Clem. ne  
in agro  
Dominico.*

*c. ne Reli-  
gios. de  
regul. &  
transf.  
d. Clem. ne  
in agro.*

*c. si quis.  
18. q. 2.*

hominis jacturam faciant, sed Mariæ pietatem cum sollicitudine & officio Marthæ conjungant, & sæpius ad cellæ quietem sese conferant; nihil vero committant, quod vel immodestiam, elationem in officio, studium proprii compendii, vel simile quid, sapiat; quod si à Superiore animadvertatur, ad cellæ quietem & suæ salutis curam relegentur.

*Cont. Tridenti. sess. 25. c. 11. de regul.*

33 Regulares, sive in ipsiſ Monasteriis quibus cura animarum est annexa, sive extra illa, Parochiæ præficiantur, Sacramenta non administrent, nec curam animarum quocumque modo exercent, nisi prævio examine à Nobis aut Vicario Nostro approbati sint. In iis vero, quæ ad dictam curam & Sacramentorum administrationem pertinent, Jurisdictioni, Visitationi, & correctioni Nostræ sint subjecti.

*Sess. 5. c. 1. de ref.*

34 Nihil hoc sæculo tam ornat religiosum, quam cum pietate conjuncta doctrina; quæ inter sectariorum versutias & obreccationes maxime est necessaria. Itaque post ea, quæ à Concilio Tridentino de sacræ Scripturæ lectione sapientissime præscribuntur, cum studium Theologicum publicas exercitationes requirat, Nosque jam in civitate Nostra Osnabrugensi, cum Seminario Nostro, Theologici studii principium fecerimus: Hortamur Superiores Religiosorum, ut juniores Fratres omnes, maxime qui bonæ sunt indolis, ac in suis Monasteriis in literis sufficienter erudiri non possunt, vel ad civitatem Nostram Osnabrugensem, vel ad vicinam Monasteriensem aut Paderbornensem Vniversitatem, studiorum gratia, dimittant, & in Monasterio vel Collegio aliquo collocent, ubi, cum accessione doctrinæ, Monasticæ disciplinæ jacturam nullam faciant.

35 Huc etiam spectat, ut Bibliothecæ in Monasteriis instituuntur, restaurentur, conserventur, augeantur, & repurgentur à libris vetitatis, maxime Hæreticorum.

36 Temporis pretium cum infinitum sit, maximeque conveniat, ut Religiosis istius certa constet ratio; cupimus omnino, ut, quod tempus à divino officio superest, in solidis pietatis exercitiis, sacræ meditationibus, orationibus, lectione sacrarum Librorum, & similibus sanctis exercitationibus, tradatur. ad quod multum valeret accurata temporis & occupationum distributio, mane facta, ac meridiana vespertinaque rationis repostulatio, & observatio diligens negligentiarum & humanorum lapsuum, renovatio propositorum, ac cura diligens particularis Examinis. Hoc si à Religiosis cum ipso tyrocinio, inchoaretur, suavem iis vitam Religiosam redderet, magisque statui ac vocationi suæ facerent satis.

*Sess. 25. de regul.*

37 Demum, ea omnia, quæ à Canonibus, Concilio Tridentino, & aliis etiam locis hujus Synodi, constituta sunt, & Regulares concer-

nunt, ea omnia Monasteriorum Superioribus & Regularibus quibuscumque commendatissima esse cupimus.

## C A P. II. De Sanctimonialibus.

1 Sanctimonialium eadem est cum Monachis obligatio, in conservandis votis substantialibus, per quæ Deo devotæ sunt atque obstrictæ. unde ad hujusmodi observationem eas diligenter adhortamur.

2 In primis vero, quoniam Christi sponsæ sunt, cui virginitatem suam consecrarunt, omni cura illis advigilandum est, ut, sicuti virgines decet, castæ sint corpore & spiritu, fidem ac integritatem suam, Deo dedicatam, corde, ore, & opere conservent.

*Caus. 27. q. 1. per tot.*

3 Proinde omnia hujus castitatis conservandæ media & adminicula, jejunia, orationes, meditationes, silentium, solitudinem; laborem manuum, ac alias carnis mortificationes, ultro amplectantur, vana vero & mundana colloquia, præsertim cum viris, particulares & suspectas familiaritates cum quibusdam personis, etiam Ecclesiasticis & Religiosis, & quæ sunt familia malorum irritamenta, omnino fugiant.

4 Quoniam vero præcedentibus annis, quibus multa contigerunt, puritati religiosæ vitæ adversa, interdum etiam moniales, laxatis libertatis habenis, & virginali verecundia seposita, licentius Monasteriis egressæ, & ad convivia, nuptias, primitias, dedicationes, visitationes parentum & amicorum, processisse dicuntur; hujusmodi similes omnes abusus hac Nostra constitutione abominamur, & sublato esse volumus; graviter tam in contrafacientes, quam earum Superiores, si quid ab ipsis, remissione, negligentia aut indulgentia, peccatum fuerit, animadversuri.

*c. periculoſo. de statu Monach. in 6. Conc. Tridenti. sess. 25. c. 5. de reg.*

5 Carentiam proprii, usque ad paupertatis fastigium sanctimoniales ament & colant; nulla sibi proprium aliquid dicat aut servet, sed omnia in Præfectæ potestate constituta sint.

*d. e. cum ad Monasticum. Conc. Tridenti. sess. 25. c. 2. de regul.*

6 Quicquid Monialis hæreditate, donatione, vel alia quavis justa causa acquirit, id omne in communem Monasterii usum redigatur; nihilque muneris aut donarii sive à Clericis sive à Sæcularibus capiat, nihil vicissim det, etiam devotionis aut religionis causa, sine Præfectæ præcitu & consensu.

7 Census vitales, ancillas, catellos, gallinas, columbas, aves, aut similia, nulla monialis habeat, sub pœna proprietatis.

8 Ad faciliorem suavioremque paupertatis, seu carentiæ proprii, tolerantiam, curetur, ut exquisita illa & religiosæ vitæ communis ratio & usus in Monasteriis studiosè introducatur & conservetur, quoad cibum, potum, vestitum, cæteraque necessaria; ne sub præ-

textu

*d. fess. 25.  
c. 3. de  
regul.*

textu necessitatis, sancta paupertas violetur, ideoque nec plures moniales assumantur, quam ex redditibus Monasterii ali possint.

*d. fess. 25.  
c. 1.*

9 Vestitus sit simplex, & Ordini conveniens; nihil quod mundi superfluitatem aut vanitatem sapiat. Si quid ex præcedentibus annis curiosæ vanitatis & deformationis in vestitu religioso relictum sit, id, cura Superiorum Visitatorum ac Commissariorum, tollatur, sub pœna Nobis arbitraria, si hic indiligentia aut dissimulatio appareat.

10 Ut etiam omnis proprietatis occasio in hoc genere tollatur, Præfectæ ac Confessarii monialibus persuadeant, ut vestes omnes laneæ, lineæ, pellicæ, aut cuiuscunque generis in uno loco asserventur, duoque ex monialibus deputentur, quæ purgandis, excutiendis, sarcindisquæ vestibus sint constitutæ; quæ etiam fororibus in singulas septimanas, & pro ut usus postulat, eas distribuant: nulla vero monialis vestes apud se habeat, præter eas quæ ad usum præsentem sunt necessariæ. In hunc autem usum in quolibet Monasterio locus communis vestium constituatur.

11 Moniales nihil clavibus obferatum, in scriniis, cistis, aut alibi habeant; si quid tale fuerit, à Præfecta illico auferatur; quæ etiam, una cum discretis seu Senioribus Consilii fororibus, singulis annis bis aut ter singularum monialium supellestem diligenter inquirat ac scrutetur, ne ulla quicquam proprii habeat, aut amplius quam ad usum ei fuerit concessum.

*c. pernicio-  
sam. 18.  
q. 2.*

12 Cibum omnes simul capiant in uno refectionario; ad campanæ sonum omnes conveniant ad benedictionem mensæ; deinde ordine discumbentes, non prius discedant quam Deo gratiæ actæ fuerint. ad mensam quotidie spiritalis aliquis liber legatur, qui ad pietatem accendat, omnibus cum silentio & attentione audientibus, ut una cum corpore mens reficiatur.

*d. c. perni-  
ciosum.*

13 Dormitorium idem omnibus sit; singulæ in singulis lectis separatim dormiant & in singulis cellis, si tanta sit cellarum copia, ut omnes capere possint. Cellæ vero, vel apertæ sint, vel ita clausæ ut tamen communi clave à Præfecta referari possint. Dormitorium vero noctu sit clausum, clave pœnes Præfectam existente.

*d. c. cum  
ad Mona-  
ster.*

14 Communis ille curationis ægotantium locus, quem Infirmaryam vocant, ubi adhuc ædificatus non est, quam citissime constituatur; extra ejus loci fines moniales ægotantes non cubent; charitas erga valetudine afflictas cum primis exerceatur, & convenientes cibi, medicamenta aliaque necessaria, secundum Monasterii facultates suppeditentur.

*d. c. cum  
ad Mon-  
aster.*

15 Præfectæ Monasterii, moniales omnes reverentiam & obedientiam præsentent, quemadmodum earum promissio postulat. Quæ ve-

ro ejus iussa neglexerit, aut superbe ac contumeliose responderit, aut penitentiam sibi injunctam præstare noluerit, aut Præfectam, tergiversando, excusando, defendendo impedierit, quo minus illas, quæ aliquid commiserint, reprehendat aut castiget; pro modo delicti & inobedienciæ gravius puniantur, humi prostratione, veli privatione, flagellatione, cibi subtractione, cæceris inclusione, & similibus religiosæ castigationis modis.

16 Cum sanctimoniales eo sine è terra & cognatione egressæ sint, ut peculiari modo Deo serviant, eundemque sacrificio laudis honorent, ac pro populi peccatis deprecantur: hinc valde convenit, ut in ipsius laudibus & honore assiduæ sint, diu noctuque Chorum frequentent, preces suas horarias ac sacra officia, ex communi Ecclesiæ & Ordinis instituto, corde & ore perficiant; quibus omnes sine exceptione interesse studebunt, nisi quas officii ratio, & justus impedimenti excusatio, Præfectæ judicio exemerit.

*facit et  
nunquam  
de consecr.  
d. 5.  
c. qua  
tua. 12.  
q. 1.*

17 Singulæ autem in ipso statim initio divinorum officiorum adsint, in congruenti suo habitu propriisque locis, & usque in finem perseverent, nisi, iusta aliqua necessitate exigente, Præfecta, vel quæ ejus vicem gerit, discessus veniam dederit.

18 Cantum Ordini ac tempori convenientem adhibebunt, cum tractu & debita moderatione, ut voci mens concordet, & divina majestas digne laudetur.

19 Et, quoniam sacra meditatio plurimum mentem afficit, ac in Deum convertit, piisque in hac vita magnum adfert solatium & fructum; ideo conandum est, ut sacrarum meditationum usus in Monasteriis introducatur, &, præter horas Canonicas aliaque divina officia, tempus aliquod commodum deputetur, quo in unum quotidie in choro universæ convenientes, saltem per horam mentali orationi vacent, semihora scilicet post Matutinum & Completorium. Poterunt vero hujusmodi sacris meditationibus servire mysteria vitæ & Passionis Christi & Redemptionis nostræ, consideratio beneficiorum Dei, generalium & particularium, quatuor novissimorum, status & vocationis, & vitæ Sanctorum, &c. aliaque hujusmodi, quæ ad Dei gloriam, propriam proximorumque salutem pertineant.

20 Ad promovendam in monialibus pietatem, conservandamque corporis & animæ puritatem, plurimum confert divino Sacramentorum, Pœnitentiæ & Eucharistiæ, frequentatio. Quamobrem moneamus diligenter moniales omnes, ut, secundum Concilii Tridentini constitutionem, semel saltem singulis mensibus, nec non celebrioribus Christi Domini & Deiparæ Virg. festivitibus, aliisque ab Ordine & Constitutionibus præscriptis diebus, peccatorum Confessionem

*Conc. Tri-  
dent. fess.  
25. c. 10.  
de regul.  
d. Clem.  
ne in  
agro.*

faciant, & sacrosanctam Eucharistiam suscipiant, ut eo se saluari praesidio muniant, ad omnes oppugnationes daemones fortiter superandas.

*d. sess. c.  
10.*

21 Ut autem afflictis quarundam conscientiarum consulatur, praeter ordinarium Confessorem, alius extraordinarius Confessarius iisdem, bis aut ter in anno, à Nobis approbatus, offeratur.

*Sess. 25.  
de regul.  
c. 7.*

22 Quae de Abbatissae, Priorissae, Magistrae aut Praefectae, quocumque nomine appellentur, electione, ut scilicet aetatis ac Professionis annos habeat, à Concilio Tridentino designatos, ac caeteras qualitates requisitas; quantum fieri potest, omni modo observari volumus.

*d. sess. c. 6.*

23 Haec non ambitu, conspiratione, collusione, aut alio modo, constituantur, sed collectis singularum, Dei gloriam & communem Monasterii utilitatem praeculis habentium, secretis votis eligatur, quae, omni sinistro affectu remoto, ad id magis digna & idonea iudicata fuerit.

24 Praefecta Monasterii, tanquam communis omnium Monialium Mater, ea sibi omnia quam diligentissime commendata habeat, quae ad ipsarum corporis & animae salutem spectant. Cum primis vero eas admoneat, ut purae sint corde & corpore, perfectionem sectentur, pacem & tranquillitatem conservent; studeat etiam, ut singulae suo recte fungantur officio, & ut obedire libenter discant; refractarias vero & contumaces, secundum constitutiones Ordinis, & iis modis quibus supra indicatum est, aliisque, coerceat.

25 Capitulum culparum singulis septimanis habeat, in eoque graviter & sine contentione corrigat ea, quae unaquaque monialis in sui officii munere neglexerit; quorum veniam ipsae sponte ac humiliter coram omnibus petant; curetque Praefecta, ut Penitentiae ac mortificationes adhibeantur, quae ex instituto ipsarum traditae sunt, ad profectum, in humilitate ac sui contemptu; obedientia, aliisque virtutibus religiosis, faciendum.

26 Religiosi etiam silentii singularem curam habeat, ne superfluis vanisque colloquiis à monialibus tempus infumatur, neve quispian extraneus ad colloquendum facile cum monialibus admittatur, aut Monasterium absurdis & inanibus rumoribus compleatur.

27 Volamus vero, ut silentii observatio diebus sacris diligenter custodiatur. idcirco, quibus diebus sacra Eucharistia sumitur, item festis diebus, tempore Adventus & Quadragesimae, & in Vigiliis Sanctorum, & sub divino officio, moniales cum extraneis ne loquantur, magna necessitatis causa excepta.

28 In negotiis gravioribus, Praefecta nihil decernat, nisi scientibus & consentientibus majori ex parte Senioribus Consilii Sorori-

bus. Quae vero majoris sunt momenti, ad consultationem totius Capituli referantur; idque ratum sit, quod majori & saniori monialium parti placuerit.

29 In quibus Monasteriis sanctimonialium, labor manuum in communi officina jam in usu est, diligenter conservetur; in aliis locus aliquis singularis deputetur, in quo operibus elaborandis moniales diligenter exerceantur; sitque una laboris magistra, quae illa, quae elaboranda sunt, recipiat, distribuatur; laborum vero pretia ac mercedes Praefecta accipiat, nec quaequam alia in huiusmodi curam sese ingerat.

30 Novitiarum quoque curam una sola magistra, ad hoc constituta, in loco, si fieri potest, separato habeat; quae Novitias in timore & cultu Dei & observantione Ordinis erudiat, easque assiduis monitionibus, vitaeque exemplo, ad religiosam vitam disciplinam & perfectionem formet, ut, Deo adiutore, perfectae ipsius ancillae possint evadere.

*d. Clem.  
ne in  
agro.*

31 In Novitiatum nulla recipiatur sine habitu regulari; ad habitum nulla nisi duodecim annis major; ad professionem vero non nisi post annum 16 aetatis & integrum probationis completum, & postquam Nos vel Vicarius Noster, aut aliquis ad id à Nobis deputatus, Virginis voluntatem diligenter de libertate professionis exploraverit, teneaturque Praefecta, instante professionis tempore, Nos aut Nostri Vicarium, mensem ante, de futura professione certiorum reddere.

*d. sess. 25.  
c. 15. de  
regul.*

32 Puella, postquam semel Novitiarum habitum induerit, Monasterio exire non possit; nisi forsitan, nondum profectam, poeniteret Monasterium introisse. Si vero semel exierit, nulla in posterum redeundi facultas facile concedatur.

33 In receptionibus puellarum ab illicitis pactionibus & contractibus absteineatur; nec ante Professionem quicquam Monasterio datur, praeter id, quod ad victum & vestitum ejus, quoad in novitiatu fuerit, necessarium est.

34 Inclusionem monialium, tanquam, hoc saeculo nequam, praecipuum conservandae pudicitiae & integritatis virginalis medium, maxime opere Concilium Tridentinum, ac Summi Pontifices, Ordinariis locorum, etiam sub obtestatione divini iudicii, & interminatione maledictionis aeternae, commendatam esse voluerunt; illamque rem tot constitutionibus & rescriptis stabilierunt, ut moniales merito agnoscere debeant, nullam nimiam diligentiam videri posse ad ejus thesauri custodiam, cujus causa ipsae mundo, parentibus, omnique rei ac spei in hoc saeculo, valedixerunt, ac monasteriis sese incluserunt. Placet autem, ad evidentiorum intellectum, ipsam Concilii sanctionem hic subungere.

*Sess. 25. c. 15. de regul.*

*Bonifacii Octavi constitutionem, quae incipit, Peri-*

Periculoso, renovans sancta Synodus, universis Episcopis, sub obsecratione divini iudicii, & interminatione maledictionis eterna, precipit, ut in omnibus Monasteriis sibi subjectis, ordinaria, in aliis vero, Sedis Apostolicæ autoritate, clausuram Sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter restitui, & ubi inviolata est conservari maxime procurent, inobedientes atque contraditores, per Censuras Ecclesiasticas aliasque pœnas, quacunque appellatione postposita, compescentes; invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio Brachii secularis. Quod auxilium ut præbeatur, omnes Christianos Principes hortatur sancta Synodus, & sub Excommunicationis pœna, ipso facto incurrenda, omnibus Magistratibus secularibus injungit. Nemini autem Sanctimonialium liceat post professionem exire e Monasterio, etiam ad breve tempus, quocunque prætextu, nisi ex aliqua legitima causa, ab Episcopo approbata, indultis quibuscunque & privilegiis non obstantibus. Ingredi autem intra septa Monasterii nemini liceat, cuiuscunque generis aut conditionis, sexus vel ætatis fuerit, sine Episcopi vel Superioris licentia, in scriptis obtenta; sub excommunicationis pœna, ipso facto incurrenda. Dare autem tantum Episcopus vel Superior licentiam debet in casibus necessariis, neque alius ullo modo possit, etiam vigore cuiuscunque facultatis vel indulti, hæcenus concessi, vel in posterum concedendi.

35 Memores itaque salutis nostræ, cupientesque à Nobis avertere divinæ ultionis vindictam, præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ omnibus Sanctimonialium Monasteriorum Superioribus, Commissariis, ac Visitationibus, ut Monasteria omnia monialium, sibi subjecta, ad debitam clausuram & communem vitæ rationem, relegata omni proprietatis specie, quamprimum redigant.

36 Et, quamvis in Dicecesi nostra Monasteria Sanctimonialium omnia extra civitates & oppida, ruri & apertis fere locis sita sint, eam tamen rationem iniri volumus in constituendis Ianuis, Fenestris, Rotis, Cancellis, ingressu Monasterii, & in omni forma ædificiorum, ut omnia ad accuratam formam inclusionis seu clausuræ debitæ quam proxime accedant.

37 Ianuæ septorum Monasterii diu noctuque sint clausæ, duabus feris; quarum altera intus, altera foris claudatur, ac unam clavem habeat Præfecta, seu ex ejus commissione Ianitrix Senior, alteram Pater seu Confessarius, non aperiantur vero januæ nisi ex causis necessariis; & tunc moniales non audeant eo accedere, ut externum quidpiam aspiciant, vel cum mare aut scæmina colloquantur.

38 Extra casus necessarios & in jure expressos, non admittantur mares & scæminæ cuiusvis generis intra septa Monasterii, etiamsi monialibus inserviant, nec finantur ibidem

pernoctare, sub pœna Excommunicationis quibus aliæ pœnæ arbitrariæ addentur.

39 Animadvertimus quoque, puellas sæculares interdum, educationis aliæ causa in clausuris Monasteriorum commorari, quæ res cum aliquanto periculo non careat, volumus, ut posthac nullæ hujusmodi puellæ in Monasteria recipiantur, sine expressa Nostra licentia, in scripto concessa, ac Superioris regularis, si ei subjectum fuerit Monasterium.

40 Hujusmodi vero puellæ habitu incedant modesto, nigri coloris, vel fusco, non varii coloris, aut qui nimiam mundi vanitatem sapiat; & advertatur, ne moribus aut verbis moniales offendant.

41 Quod de Hospitalitate religionum statutum est cap. præcedente, hoc in monialibus multo magis observetur; caveaturque, ne sub specie familiaritatis, visitationis, & amicitiae, hospites alii facile excipiantur quam qui necessarii sunt.

In cæteris, omnia constitutionibus Ordinum & SS. Concilii Tridentini Decretis relinquantur; eaque studiosè servanda Sanctimonialibus ac earum Præfectis & Superioribus ferè commendantur.

#### C A P. III. De Sanctimonialium Superioribus, Visitationibus ac Confessariis.

1 Nil æque conservat religiosum statum, & in eo viventes Deo consecratas personas, quam frequens Superiorum inspectio & visitatio; quæ, præsertim teneras virgines, eò magis in ordine atque officio continet, quo illæ ob sexus fragilitatem ampliori cura ac vigilantia suorum Superiorum indigent.

2 Superiores itaque Monialium (quos certe cupimus viros graves, prudentes, Constitutionum Ordinis ac status Monasterii intelligentes, zelo ac rerum spiritualium scientia præditos,) Sanctimoniales, curæ suæ commissas, temporibus à Regula vel Constitutionibus definitis, ferè ac sollicitè visitent, ac, quæ corrigenda ac reformanda sunt, in meliorem statum reponant, dictumque sibi ab Apostolo existiment: Rogamus autem vos Fratres, corripite inquietos, consolamini pusillanimes, patientes estote ad omnes.

3 Visitationes suas prudenter instituunt, & antè ipsam posterioris visitationis chartam perlustrent, defectus examinent qui emendandi præscripti fuerint; & an emendatio debita subsequuta sit, diligenter perquirant.

4 In ipsa autem Visitatione hunc modum teneant, ut seorsim singulas de votis substantialibus, de Regula & Constitutionibus, & an illa bene observentur, conceptis secundum morem Ordinis aut præsentem necessi-

Cont. Tri-  
dent. sess.  
25. c. 9.  
de regul.

1 Theff. 5.  
v. 14.



tatem vel occasionem interrogationibus percontentur.

5 Item de vita communi, de officio divino, de frequenti Communione, confessione, & exercitiis spiritualibus, & quæ isthuc secundum prudentiam suam spectare existimaverint.

6 An clausura secundum præscriptum Concilii Tridentini bene observetur; An ipsæ moniales extra Monasterii septa se conferant; An permittatur viris aut mulieribus ingredi septa, excepta causa inevitabilis necessitatis; An libellos prohibitos, picturas sæculares, conversationem suspectam cum aliis habeant; An permittatur eis accipere vel dare Epistolas quas non prius legerit Præfecta; An in colloquiis extraneis modus debitus servetur, & forores auscultatrices semper adsint; An ad cancellos vel rotas convivia & comotationes fiant cum amicis & aliis.

7 De munusculis, An modus excedatur.

8 Quibus exercitationibus ac laboribus post divinum officium tempus traducatur. ubi attendendum, ne nimis studiosæ sint moniales istius artificiosæ exercitationis in acupictura, opere acuario, & similibus quæ magis decent sæculares quam religiosas.

9 An sint inter eas conspirationes seu, ut vocant, ligæ, & partes, dissidia, rixæ, contentiones, obreccionones, calumniæ, murmura, &c. Quæ harum causæ, primipilares seu choragæ & incentrices; quæ omnino diligenter corrigendæ, & pax & conciliatio omni modo constituenda.

10 Item interrogentur de Officialibus.

11 De Abbatissa, Priorissa, Suppriorissa, Magistra Novitiorum, Celleraria, &c. An legitime sint constitutæ; An bene se gerant in officiis suis; quis in qualibet defectus; An res Monasterii procedant, an in deterius; vergant; ac cujus id culpa fiat, animadvertendum.

12 Novitiæ quomodo recipiantur & instituantur. Interrogentur quoque de Patre seu Confessario, An sit vir gravis, integer, discretus, prudens, qui monialium conscientias bene tractare norit; An quicquam in illo defideretur; An is permittat ut bis vel ter alius Confessarius per annum monialibus offeratur. Item de Concionatore, an bene suo muneri satisfaciatur.

13 Et, si videatur, etiam de personis externis, œconomo, scriba, & aliis de familia; si quispiam ex iis Monasterio inutilis, scandalosus aut periculosus sit.

14 Inquisitione seu examine perfecto, mature consideratis & perpensis omnibus depositionibus, Visitatores chartam Visitationis conficiant, & in domo capitulari secundum morem religiosum omnia peragant; studeantque, ut, quoad ejus fieri potest, pax & tran-

quillitas in Monasterio constituatur & relinquatur, divini officii, clausuræ & votorum bona ratio habeatur.

15 Si quæ vero supra modum tentatæ ac perturbatæ & pusillanimes videantur, in iis sedandis & ad æqualitatem animi reducendis omnem modum adhibeant; atque etiam, si necessarium videatur, viros eruditos & religiosos procurent, qui eos solentur, instruant, & tranquillitati suæ restituant. Caveant etiam, ne aliquæ, sub specie pietatis, apparitionum & visionum, præsertim si melancholicæ, & validæ imaginationis sint, à Maligno eludantur aut decipiantur.

16 Qui Monasteriis præsentunt Abbates ac Superiores, magno cum delectu Confessarios ac Patres monialium constituent, viros pios, maturos, prudentes, doctos, sensualitatis & hujus sæculi contemptores, ac tales qui antea vitæ experimento ostenderunt, se inter sponsas Christi secure & cum fructu spirituali conversari, easque non minus verbis & cohortationibus, quam vitæ exemplo, ad religiosam modestiam, humilitatem, pietatem, ac vitæ puritatem informare & excitare posse; quod etiam diligenter facere, & se in omnibus bonorum operum exemplum præbere, studeant.

17 Familiaritatem vero nimiam, colloquia privata (nisi informationis spiritualis gratia) evitent; cum iis nec prandeant nec bibant; munuscula vero vel ab iis capere, vel iis dare, autoritate sua indignum existiment.

18 Ipsa rerum magistra experientia docet, artem artium esse regimen animarum, & maxime sanctimonialium tractare conscientias & confessiones excipere. Quapropter maxime decet sanctimonialium Præfectum, ut penitus omnes animæ earum morbos, & in quibus contra vota religiosa & regulam peccatur, cognoscat, perspiciat, & remedia in promptu habeat, quomodo hujusmodi tentationibus, æmulationibus, pusillanimitatibus & cæteris animi affectibus medendum sit, ut Deo sacratæ Virgines in vocationis suæ amore & religiosæ perfectionis studio confirmandæ & promovendæ.

19 Confessarius sanctimonialium, neque nimis rigidus neque nimis laxus, nec nimis remisse neque nimis minutim ac scrupulose in quibusdam interrogare debet, quæ omnia cum una regula comprehendere non possint, unctio Spiritus sancti, orationibus ferventibus impetrata; pietatis studium, profectus spiritualis, diligens conatus, defiderantem docebunt.

20 Verendum etiam est, ne præposterus in Confessione metus & pudor aliquando in monialibus efficiant, ne illæ coram ordinario suo Confessario conscientiam suam plane exonerent. Vide, quod à Concilio Tridentino

tino

tino in hac parte indultum, etiam ante in Constitutiones Synodales relatum est, ut alius extraordinarius Confessarius illis bis aut ter offeratur, id ne à Præfectis seu Confessariis monialium ordinariis, tanquam suæ potestatis derogatorium, negetur, aut confringatur, cum

expediat, etiam sæpius hanc potestatem cum Superiorum licentia facere, & libertatem aliquam salutarem, ad alia mala præcavenda, hac in parte permittere, si perspicuis argumentis, angi suarum conscientias, animadvertant.

## P A R S Q V A R T A.

### C A P. V N I C V M. *De Iurisdictione & Iudicio Ecclesiastico.*

**C**orrupcionem tribunalium nostrorum, & confusionem Iurisdictionum, ac inde procedentem Iuris ac justitiæ pervercionem, Nos, in ipso statim in Diocesi Nostram Osnabrugensem ingressu, facile animadvertimus; & res ipsa adeo manifesta loquitur, ut nullus inficias ire possit, ex illa Iudiciorum corruptela, infinita sequi incommoda, dum aut coram non suis Iudicibus, aut in idoneis, aut non recto ordine, aut ab iis hominibus qui ad hoc idonei non sunt, causæ perverse tractantur, lites ex litibus feruntur ac pertrahuntur, justitia obscuratur, subditi nostri misere vexantur ac distrahantur, innocentes opprimuntur, hæreditates ac patrimonialia exhauriuntur, & infinita mala oriuntur. quibus ut obviam procedamus, ac, quantum in Nobis est, integritatem juris ac justitiæ in utroque foro constituamus, ac factam rectamque conservemus, officii Nostræ Episcopalis ratio à Nobis exigit.

2. Quamvis autem, sicuti necessarium iudicamus, ita votis omnibus desideremus, ut quamprimum accurata iudiciorum reformatio, præsertim in foro Nostræ Episcopali, subsequatur; temporis tamen angustia, Provincialium negotiorum accumulatio, multitudo & gravitas, non patiuntur, ut, in Synodali hoc conventu, iis rebus omnibus certum ordinem dare possimus, sed in aliud tempus commodum suspendere cogamur.

3. Interim tamen volumus, ut in iudiciis Nostris, tam Officialatus quam aliis, certi ac definiti Procuratores & Advocati sint, ac non alii quam Catholici, compertæ probitatis, fidelitatis, & convenientis eruditionis, qui fidei professionem secundum Decreta Synodi hujus Nostræ fecerint, juramentumque à Nobis proponendum præstiterint; quos etiam volumus ab omni procacitate, maledicentia, superfluis & inutilibus allegationibus, comperendinationibus, protelationibus, pactis de quota litis, & aliis illicitis lucris, munerum

acceptationibus, & similibus prohibitis actionibus, abstinere, sub arbitraria Nobis poena.

Causæ omnes, ad forum Ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, non alibi, neque coram alio, quam iudicio Nostræ Ecclesiastico, agantur, tractentur, definiantur; nec iis cognoscendis ac definiendis Iudices sæculares, sive in principio sive per viam appellationis, sese immisceant, quocunque prætextu illius consuetudinis vel usurpationis; cui Nos hac Nostra solemnī protestatione & Synodali Constitutione contradicimus, & omnes contrarios actus interruptos esse volumus.

Cætera, quæ de forma & ordine iudiciorum ulterius desiderantur, Nos, cum præcitu & Consilio Venerabilis Nostræ Capituli, Deo dante, ad publicam Diocesis Nostræ utilitatem, & subditorum Nostrorum tranquillitatem ac prosperitatem, diligenter ac serio posthac curabimus.

**E**T quia Ego Iudocus Uphaus I. V. D. Comes Palatinus, Cantor & Canonicus Ecclesiæ Collegiatae S. Ioannis Osnabrugensis, à suprâ memorato Reverendissimo & Illustrissimo Domino Præfide in Actuarium deputatus, præinsertorum Decretorum Synodaliū promulgationi interfui; idcirco eadem Decreta, in fidem eorundem, prævia debita requisitione, propria manu subscripsi.

Acta

Acta sunt hæc Anno, à sentibus Venerabilibus  
partu Virgineo, MDC & Doctissimis Dominis,  
XXVIII, Indictione duo- Hippolyto Franciotti &  
decima, Pontificatus fan- Petro Dauans, Reveren-  
tissimi Domini nostri D. didissimi & Illustrissimi Do-  
Urbani Papæ Octavi An- mini Episcopi Osnabru-  
no sexto, diebus, mense, & genfis Capellanis Aulicis,  
loco, quibus supra; præ- testibus fide dignis.

*Indocus Vphaus I. V. D. Comes Palatinus, Cantor  
& Canonicus D. Ioannis, subscripsit.*

CATALOGVS  
PRELATORVM,  
COLLEGIORVM,  
utriusque sexus Monasteriorum,

Singularumque Parochiarum ad Synodum Episcopalem Osnabrugensem, die  
vigesima octava mensis Martii, Anno millesimo sexcentesimo vigesimo  
octavo, celebratam, vocatorum, tam eorum qui per se vel alios  
comparuerunt, quam eorum qui omnino emanferunt.

Reverendissimus & Illustrissimus  
Dominus

D. FRANCISCVS  
GVILIELMVS;

Dei & Apostolicæ  
Sedis gratia,

EPISCOPVS  
OSNABRUGENSIS,

Sacri Romani Imperii Princeps, Præpositus  
Ratisbonensis, Comes de Wartenberg,  
Dominus in Waldt, &c. Præsidens  
ac Synodum Dicecesanam  
convocans.

Reverendissimus in Christo P. Dominus  
IOANNES PELCKINGIVS,  
Episcopus Cardicensis, Reverendissimi &  
Serenissimi Baviaræ Ducis FERDI-  
NANDI, Episcopi Paderbornen-  
sis, &c. Suffraganeus,

CAPITVLVM

*Canonicorum Cathedralis Ecclesiæ  
Osnabrugensis.*

Sixtus à Liaukema, Præpositus, Ar-  
chidiaconus, hujus & Cathedra-  
lis Ecclesiæ Paderbornensis Ca-  
nonicus.  
Theodorus à Morrien, Decanus.  
Ludolphus à Varendorff, Senior,  
Scholasticus, atque Archidiaconus.  
Admo- Casparus à Nehem, Reverend. Epi-  
dum scopi Osnabrugensis, Capellanus  
Reve- in Melle.  
rendus  
& Præ- Henricus à Mallinkrott, Cantor,  
nobilis & Archidiaconus.  
Domi- Ioannes à Melschede, hujus nec non  
nus Cathedralis Ecclesiæ Hildesienfis  
Canonicus & Cantor.  
Godefridus Droste, hujus & Cathedra-  
lis Ecclesiæ Monasterienfis  
Canonicus.  
Benedictus à Nehem.  
Ioannes Heidenricus à Vorden, Il-  
lustrissimi

Illustrissimi Principis Osnabrugensis Capellanus in Laer, nec non Ecclesiarum Cathedralis & Collegiatae S. Pauli Monasteriensis respective Praepositus & Scholast. Rudolphus à Lutten, Thesaurarius atque Archidiaconus. Ioannes Otto à Dorgelo, Reverendiss. Episcopi Osnabrugensis Capellanus in Schleddehausen. Stephanus Schenkingk. Benedictus à Galen, Reverendissimi Episcopi Osnabrugensis Capellanus in Disfen. Admodum Reverendus & Illustris Dominus, Enno Philippus, Comes Oestfrisiae & Ritpergensis, D. de Esens, Stettesdorff, & Wittmond, Metropolitanæ Colonienfis, nec non Cathedralis Argentinensis, & Collegiatae S. Gereonis Colonienfis, Ecclesiae respective Canonicus & Scholasticus. Ioannes Eberhardus à Nehem. Iodocus Fridericus Vincke, hujus & Cathedralis Ecclesiae Mindenfis Canonicus. Nicolaus Hermannus Vincke. Ioannes Iodocus Ledebur. Franciscus Theodorus Westphael. Ioannes Wernerus à Leradt. Casparus Wilhelmus à Melschede. Eberhardus à Galen, Collegiatae Ecclesiae Wildeshausanae Canonicus.

Admodum Reverendus & Praenobilis Dominus

ABBATES ET PRÆPOSITI REGVLARES.

Admodum Rever. D. Ioannes Wasmuth, Abbas Iburgensis, Ordinis S. Benedicti. Admodum Reverend. & Nobilis Dominus Ioannes Schillinck, Praepositus Claholtanus Ordinis Praemonstratensis.

COMMENDATORES.

*S. Ioannis Hierosolymitani.*

Commenda in Laghe Ordinis Melitenfis pro tempore vacat per mortem defuncti Commendatoris quondam Admodum Rever. & Praenobilis Henrici à Bernsaw.

COMMENDA S. GEORGHII MARTYRIS

*Ordinis Teutonici in civitate Osnabrugensi.*

Admodum Reverend. Praenobilis & Strenuus Dominus Hermannus ab Ittersumb, Com-

mendator S. Georgii in civitate Osnabrugensi.

CAPITVLVM

*Canonicorum Collegiatae Ecclesiae sancti Ioannis Baptista in Civitate Osnabrugensi.*

Admodum Rever. & Praenobilis Dominus Henricus à Mallingkrott, Praepositus, Archidiaconus, nec non Cathedralis Ecclesiae Osnabrugensis Canonicus & Cantor. Admodum Rever. & Doctissimus Dominus David Fabritius, Decanus. Rever. & Nobilis Dominus Iodocus à Werne, ad S. Mauritium extra muros Monasteriensis Scholasticus. Rever. & Clarissimus D. Iodocus Vphaus, I. V. D. Cantor. Rev. D. Georgius Heisterman, Scholasticus. Rev. D. Ioannes Vphaus, Thesaurarius. Rev. D. Hermannus Holtappel. Rev. D. Ioannes Eickrodt. Rev. D. David Martingius. Rev. D. Conradus Schmidt. Rev. D. Ioannes Timannus Heisterman. D. Franciscus Hermannus Vphaus. Rev. D. Rabanus Heisterman, Canonicus Cathedralis Ecclesiae Lubecensis. D. Georgius Switerding. Rev. D. Gotscalcus Heisterman. Reliqui vacant propter alienam religionem.

CAPITVLVM

*Canonicorum Collegiatae Ecclesiae sancti Alexandri Martyris in oppido Wildeshausano.*

Praepositura vacat per mortem. Admodum Reverendus Dominus Hermannus Wilagius, Decanus. Arnoldus Meyer, Senior & Scholasticus. Ioannes Hillebrandt, Subsenior. Ioachimus Bispinck. Casparus ab Elmendorff, Thesaurarius. Henricus Bispinck. Theodorus Sieppegrelle. Ioannes Meyerinck. Georgius Nutzhorn. Hermannus Vincke. Hermannus ab Ohr. Christophorus Grotegese. Theodorus Nutzhorn. Ioannes Vale. Hermannus Düuel.

Admodum Reverendus & Praenobilis Dominus Eberhardus à Galen,

C A.

## CAPITVLVM

*Canonicorum Collegiata Ecclesia SS. Aegidii Abbatis & Caroli Imperatoris in civitate Widenbrugensi.*

Admodum Reverendus & Prænobilis Dominus Ioannes à Melschede, Præpositus, Archidiaconus & Canonicus Cathedralium Ecclesiarum Osnabrugensis & Hildesienfis.

Decanatus vacat per mortem.

Reverendus	Domi- nus	{ Bitterus Vloeg, Scholasticus.
		{ Petrus Stroschneider, Thesaurarius.
		{ Bartholdus Croppius.
		{ Christophorus Strengerus.
		{ Ioannes Sprengerus.
		{ Theodorus Hollenhagen.

## CAPITVLVM

*Canonicorum Collegiata Ecclesia S. Sylvestri Papa in civitate Quakenbrugensi.*

Præpositura vacat per resignationem.

Decanatus similiter vacat per resignationem.

Reverendus	Domi- nus	{ Engelbertus Schröderus.
		{ Hermannus Hilbrinck.
		{ Bernardus Manicæus.
		{ Rudolphus Monnick.

Reliqui vacant per privationem, ob alienam religionem & inqualificationem.

## CAPITVLVM

*S. Mariæ in Drebbber; cuius nomine nullus comparuit, ob alienam religionem.*

MONASTERIA CRVIC-  
GERORVM.

Reverendus ac Religiosus Pater Prior Gerardus Houwerus, nomine totius Oesterbergensis seu Montis Orientis Conventus comparuit.

Nomine Monasterii Appelenfis, ejusdem Ordinis, comparuit idem Pater Gerardus Houwerus.

## MONASTERIVM

*Ordinis S. Dominici Prædicatorum, in civitate Osnabrugensi.*

Reverendus ac Religiosus Pater Nicolaus Altenhausen, Prior, nomine totius sui Conventus adfuit cum socio.

## MONASTERIVM

*Ordinis S. Francisci de Observantia, in civitate Osnabrugensi.*

Reverendus ac Religiosus Pater Theodorus

Reinfeldt, Guardianus, pro Conventu comparuit.

Item Reverendus ac Religiosus Pater Felix Silvius, Parochialis Ecclesiæ S. Catharinæ in Civitate Osnabrugensi Ecclesiastes.

## COLLEGIVM

*Societatis Iesu in civitate Osnabrugensi, & residentia ejusdem Societatis in Civitatibus Widenbrugensi, Quakenbrugensi & Meppensi.*

Reverendi ac Religiosi PP.

P. Ioannes Alting, Rector Collegii Osnabrugensis.

P. Wilhelmus Afchendorff, Theologus, & Cathedralis Ecclesiæ Osnabrugensis Ecclesiastes.

P. Cornelius Heuwer, Parochialis Ecclesiæ B. M. V. in civitate Osnabrugensi Ecclesiastes.

## MONASTERIA

*Sanctimonialium Ordinis S. Benedicti.*

Abbatissa Margareta Spikers, ac nomine totius Conventus Sanctimonialium in Herfenbrock, Reverendus Pater Fridericus Eleinck, ejusdem Ordinis Professorus in Iburgh, comparuit.

Domina Barbara ab Hovell, ac nomine totius Conventus Sanctimonialium in Monte S. Gertrudis, R. Pater Ioannes Schevinghaufen comparuit, ejusdem Ordinis Professorus in Abdinckhoff Paderbornæ.

Domina Alheide à Langen, ac nomine totius Conventus in Malgern, seu Horti S. Mariæ, comparuit Reverendus Pater Ioannes Martini, Confess. & ejusdem Ordinis Professorus in Iburgh.

Domina Margareta Schölers, ac nomine totius Conventus in Oezedde, comparuit Reverendus Pater Hermannus Gerdinck, ejusdem Ordinis Professorus in Iburgh.

## ABBATIÆ

*Sanctimonialium Ordinis Cisterciensis.*

Pro Admodum Reverenda Abbatiissa { Lucretia Elisabetha Vincke, ac nomine totius Conventus in Berfenbrugg, comparuit R. P. Severinus Raeckman, Confess. & ejusdem Ordinis Professorus in Marienfeldt.

{ Sophia à Schagen, ac nomine Conventus in Rulle, seu ad fontem S. Ma-

Pro Admo- dum Reve- renda Abbatissa  
 S. Mariæ comparuit R. P. Bernardus Tor-Bruggen, Confess. & ejusdem Ordinis Professus in Marienfeldt.  
 Gertrude ab Althaus, ac nomine Conventus in Borstel, nemo comparuit.  
 Maria à Grothaus, ac nomine totius Conventus in Gravenhorst, habuit mandatum R. P. Guilielmus A-lichendorff, Societ. Iesu.

MONASTERIA SANCTI-MONIALIVM,

*Quorum nomine, ob alienam religionem, modo nullus comparuit.*

Quernheim, Ledem, & Scholde.

CONVENTVS

*Seu Domus Sororum tertia Regula S. Augustini.*

Pro Matre ac nomine totius Con- ventus  
 S. Mariæ, dicti Marienstet, in Civitate Osnabrugensi, nemo comparuit.  
 S. Augustini in Civitate Widenbrugenfi, nemo comparuit.

PAROCHIAE

*Civitatis Osnabrugensis.*

S. Petri Apostoli, in Ecclesia Cathedrali.  
 Beatissimæ Virginis Mariæ, in foro.  
 S. Ioannis Baptistæ in Ecclesia Collegiata.  
 S. Catharinæ Virginis & Martyris.

PAROCHIAE

*In districtu seu Satrapia Iburgensi.*

Iburgh.	Oezede.	Biffendorff.
Glaen.	Borgloe.	Belem.
Laer.	Diffen.	Rulle.
Glandorff.	Hilter.	Walendorff.
Hagen.	Holte.	Schledenhausen.

PAROCHIAE

*In districtu seu Satrapia Reckenbergensi.*

Widenbruck.	Langenberg.
Gutersloe.	S. Viti.

PAROCHIAE

*In districtu seu Satrapia Furstenavensi.*

Furstenaw.	Menslage.
Quakenbrugk.	Batbergen.
Bippen.	Villen.
Bergen.	Voltlage.
Anckum.	Swastrupff.
Alffhusen.	Mersen.
Newenkirchen in Hulfe.	Berfenbrugk.

PAROCHIAE

*In districtu seu Satrapia Vördenfi.*

Vörden.	Bramsche.	Engter.
Newenkirchen.	Damme.	Gerde.

PAROCHIAE

*In districtu seu Satrapia Grönebergensi.*

Melle.	Rimslohe.
Gefmell.	Hoijsell.
Weilingholthufen.	Baur.
Newkirchen.	Oldendorff.

PAROCHIAE

*In districtu seu Satrapia Witlacensi.*

Essen, Barckhausen, Lintorff.

PAROCHIAE

*In districtu seu Satrapia Honteburgensi.*

Honteborg, OesterCappelen, Venne.

SEQVNTVR

*Parochia Diœcesis Osnabrugensis, sub districtu temporali Episcopi & Principis Monasteriensis, in Satrapia Vechtensi.*

Vecht.	Backum.
Cappel.	Oijtte.
Conen.	Embstecke.
Visbeck.	Lutten.
Steinfelt.	Goldenstette.
Vestrup.	Twisterinck.
Dincklage.	

*Parochia Diœcesis Osnabrugensis, sub districtu temporali Episcopi & Principis Monasteriensis, in Satrapia Kloppenburgensi.*

Cloppenburg.	Aldenôte.
Crappendorff.	Lindere.
Löningen.	Bassell.
Lastrup.	Essen.
Marckhausen.	Scharle.
Molbergen.	Reinschlagh.
Frisôte.	Strucklingen.

*Parochia Diœcesis Osnabrugensis, sub districtu temporali Episcopi & Principis Monasteriensis, in Satrapia Bevergernensi.*

Risenbeck.	Hobsten.
Dreijerwaldt.	Gravenhorst.

F Paro-

*Parochia Diœcesis Osnabrugensis, sub districtu temporali Episcopi & Principis Monasteriensis, in Satrapia Meppensi seu Embslandia.*

Hafeliinne.	Hede.
Stennevelt.	Neede.
Locupf.	Werdt.
Grötenwüllen.	Holte.
Bockloe.	Haren.
Berfen.	Landecke.
Hefope.	Sögelen.
Wefewe.	Meppen.
Lathen.	Rede.
Dorpe.	Haffelcke.
Affchendorp.	

*Parochia Diœcesis Osnabrugensis, sub districtu temporali Episcopi & Principis Monasteriensis, in Satrapia Wildeshufana.*

Wildeshufen, Hundtlofen, Kneten.

*Parochia Diœcesis Osnabrugensis, sub districtu temporali Episcopi & Principis Mindensis.*

Quernheim, & aliquæ aliæ, omnes hæresi infectæ, ut major pars sequentium.

*Parochia Diœcesis Osnabrugensis, in Comitatu & Satrapia Ravensbergensi.*

Halle, Borckholthausen, Versmelde.

*Parochia Diœcesis Osnabrugensis, in Comitatu & Satrapia Sparenbergensi.*

Waldenbrugge.	Brockhagen.
Engern.	Spenge.
Iollenbecke.	Steinhagen.
Schilske.	Ifelhorff.
Hepen.	Hiddenhausen.
Darenberg.	Werter.
Brauwede.	

*Parochia Diœcesis Osnabrugensis, in Comitatu & Satrapia Limburgensi.*

Punde.	Aldendorff.
Renckhausen.	Helthufen.
Borninghausen.	

*Parochia Diœcesis Osnabrugensis, in Comitatu Tecklenburgensi.*

Tecklenburg.	Latbergen.
Lengerke.	Lastte.
Ledde.	Linen.
Cappelen.	Oesterberg.
Werfen.	

*Parochia Diœcesis Osnabrugensis, in Comitatu Ritpergensi Catholico.*

Ritpergh, Maffholt, Varle, Newkirchen.

*Parochia Diœcesis Osnabrugensis, in Comitatu Oldenburgensi.*

Westerstede, cum aliis quibusdam, hæresi infectis, uti etiam sequentes sunt.

*Parochia Diœcesis Osnabrugensis, in Comitatu Diepholtano.*

Oiftdrebber, & Bernstorpff, cum aliis, quæ per hæresin vel obliteratæ vel mutatæ sunt.

*Parochia Diœcesis Osnabrugensis, in Rhedensi Dominio aliena religionis sita.*

Rheda, Herfenbrock, Claholtz.

## A D L E C T O R E M.

Cum hæresis à plurimis annis hac in Diœcesi invaluerit, Episcopos & Administratores infecerit, vel ab illis nutrita fuerit; sicut plurima alia, vel incuria vel malitia, perierunt documenta, ita & hæc Cleri Iurisdictionisque Ecclesiasticæ subjeetorum locorum compilatio non sine magnis difficultatibus ex monumentis, antiquis designationibus, aliisque documentis authenticis, erui debuit. Vti vero nemini per hoc præjudicatum volumus, ita &, si quid omisum, nullatenus concedimus. Vale.